MEMORIAM ANNIVERSARIAM

DEDICATAE

ANTE HOS CCCXXIV ANNOS

SCHOLAE REGIAE AFRANAE

D. IV. IUL. MDCCCLXVII.

H. L. Q. C.

PIE CELEBRANDAM

INDICIT

FRIDERICUS FRANKE

DR. PHIL. ILLUSTRIS AFRANEI RECTOR ET PROFESSOR I. ORD. REG. SAX. ALB. EQUES.

F. Franke

Praemissa sunt

W. MILBERGI Mirabilia Virgiliana.

MISENAE.

EX OFFICINA C. E. KLINKICHTII ET FIL.

MDCCCLXVII.

1867

Fata meae vitae partis fecere ruinam,
Ut maneam, quod vix oculis cognoscere possis.
Virgil. Dirar. liber, v. 82 in Anthol.

Mirabilia Virgilii sive fabellas de eo quasi miraculorum auctore media aetate pervulgatas expossituro liceat mihi breviter ad libellum*) recurrere, quem abhinc decem annis pari occasione scribendi oblata conscripsi et in quo de memorabili ac superstitioso cultu Maroni inde ab antiquo Caesarum tempore per mediam aetatem usque tributo ita disserui, ut primum obiter tantum enarrarem, quantopere prae ceteris Romanorum poëtis hic ipse iusta ac sana eius ingenii aestimatione cultus esset, tum superstitiosae illius atque immodicae venerationis vestigia persequerer, quae et in *centonibus* compingendis et in *sortibus* ducendis et in allegorica poetae quasi *Christi* inter gentiles *praeconis vatisque* interpretatione, denique in mystica eius quasi *transfiguratione* a Dantio Italo suscepta conspicua essent. Unum idque satis memorabile supererat, quod tum fines libello propositos excessurum videbatur, fabulas dico portentosas de eo medio aevo circumlatas. Itaque huius argumenti tractationem nunc absolvere in animo est. Quod quum iam a compluribus viris doctis**) vel strictim tantum attactum vel accuratiore disquisitione exploratum sit, confiteor mihi pro meis viribus investigandique praesidiis post illos fere nihil relictum fuisse, quam ut et singula hic illic dispersa colligerem et in conspicuum ordinem redacta passim explicarem, denique, quod non sine aliqua opera fieri poterat, principales eius rei auctores e codicibus magnam partem rarissimis ad verbum descriptos proponerem, quippe quod hactenus a nullo plene factum esse viderem. Qua in re non timeo, ne Ciceroniani inter iuveniles huius libelli lectores, quum istos plerumque corrupta latinitate affectos locos perlegerint, purum atque elegantem sermonis nitorem ulla ex parte corrupturi sint, ac simul ipse veniam peto, quod in novarum quarundam veteribusque ignotarum rerum mentione passim ab incorrupta

---

*) Cf. Misn. Progr. 1857: „Memorabilia Virgiliana".

**) Prae ceteris, quorum nomina in Graesse All. Literaturgesch. II, 2 citantur duos ut insignes et locupletes huius rei investigatores praedicare debemus: Rothium in Pfeiferi Germania IV et Massmannum in: „Kaiserchronik" III. Praeterea gratiam habeo maximam publicae bibliothecae regiae Dresdensi, quae largam librorum copiam mihi liberaliter concessit.

latini sermonis simplicitate recedens, interdum in vocabulorum usu temporis nostri consuetudini aliquid dandum esse censui.

Antequam vero ad ipsas fabulas de Virgilio *mago* excogitatas transeam necesse est certe paucis demonstrem, qui accidere potuerit, ut inprimis Virgilio ista incantatoris persona imponeretur. Quamvis enim alii quoque veterum clari viri, ut Aristoteles et Horatius, nonnullis eiusmodi fabulis adspergerentur*), tamen haec singula et pauca cum illa Virgilianorum mythorum colluvie comparari non possunt. Haud dubie in vita scriptisque eius prima causa requirenda est, quamquam necessario quilibet conatus incantatoris notionem e poetae indole ac vita omnino derivandi ad irritum cadet, quia in tali re, scilicet in consideratione argumenti magis poëtici quam historici, per plura secula libero fictionis arbitrio commutati et amplificati, interiora rei vincula solvere non tam historicae artis est, quam aestheticae et criticae.

Ac primum quidem corporis Virg. habitus, gracilis et venustus, qualis in marmore gemmisve sculptus omnibus ante oculos versatur, in istas notiones de terribili quodam venefico daemonumque tyranno non valde quadrare videtur, quamquam illarum imaginum veritas incerta est. „Corpore et statura fuit grandi“ ait Donatus in vita Virg., „aquilo colore, facie rusticana, valetudine varia: nam plerumque a stomacho et faucibus ac dolore capitis laborabat, sanguinem etiam saepius eiecit, cibi vinique minimi“, e quibus teneram eius atque irritabilem nervisque aegram corporis indolem agnoscere possis. Cui descriptioni addere licet, quae Horatius (Satir. I, 3, 29) e scholiastae sententia Virgilium depingens cecinit:

„Iracundior est paulo, minus aptus acutis
Naribus horum hominum; rideri possit eo, quod
Rusticius tonso toga defluit et male laxus
In pede calceus haeret.“

Huc accedebat sanctitatis et virginitatis laus poëtae usque adhaerens. Donatus narrat, Virgilium vitae continentissimum fuisse ac sine suspicione ullius vitii, ut *Neapoli* Parthenias i. e. Virgineus appellaretur. Quantopere vero eius admiratores ipsum poëtae nomen, vel ad virginitatem vel ad virgam nimirum magicam eamque praeterea a matre eius in somnio visam, vel ad virorem, ad Vergilias sive Pleiades, ad ver, ad verecundiam respicientes atque ambigua nominis scriptione feliciter utentes, mystico sensu exornaverint, cum praeterea etiam materni nominis appellatio inter Maiam et Magam fluctuaret et adeo Mantuae urbis nomen cum nympha Manto**) et *μαντείᾳ* coniungeretur, notissimum est et in nostrum finem sane convertendum quum Donati fides caeteroquin suspecta in hac re neutiquam offensioni sit, dummodo credere liceat, homines aevi posterioris ei fidem habuisse et ex eo suas de Virgilio notiones immutasse. Neque vero illud praetermittendum est, e nonnullorum opinione Mantuae in Virgilii partu terram esse motam et virgam populeam, arborem Virgilii dictam, quippe quod sub partum poëtae in memoriam rei plantata esset, summa gravidarum mulierum, quae ibi vota susciperent, religione diu consecratam fuisse,

*) Cf. Memor. p. 29.

**) Cf. Aen. X, 200 et Dante Inferno XX, 88.

poetam vero posthac Neapoli in studium medicinae et mathematicae, quae tum temporis mala magiae fama imbuta fuisse videtur*), incubuisse et eundem Romam reversum arte veterinaria (cf. Georg. III, 72—122) in Octaviani equorum stabulis exercitata bene meruisse, denique post iustos honores ipsi viventi tributos mortuum quoque ac sepultum etiam maiorem hominum aestimationem nactum esse. Denique hoc ipsum, quod poeta moriturus Aeneida nondum absolutam concremari iusserat, falsis de poeta eiusque carmine opinionibus ansam praebere poterat, quum etiam magorum et praestigiatorum libelli Octaviani iussu combusti essent.

Etiam carminum Virg. indoles quodammodo huc referenda esse videtur et inquirendum, num fortasse in iis ipsis aliquot fabularum quasi semina latuerint. Sed nolo longius vel eclogae octavae seu Pharmaceutriae argumentum, in primis magicis rebus refertum, vel alia superstitionis indicia in Eclog. III, IV, VII, IX, vel Aeneidos libri VI. Νεκυίαν omni necromantiae apparatu exornatam vel alia repetere, quae iam in Memorabilibus tractavi. Constat poetae venerationem in tantum fastigium sublatam esse, ut posthac multi eum tamquam patriarcham inter paganos praedicarent, et, quasi Christianae fidei clam addictum, sibi vindicarent.**) Si vero aestimationem nostro poetae et antiqua et media aetate diversa ratione tributam certis quasi periodis discernere libet, tres fortasse sunt statuendae***): prima usque ac seculum VI, ubi Virgilii memoria etiamtum per traditionem servata sed magna ex parte iam obscurata et infucata in hominum conscientia florebat, — altera, qua strenua ac ieiuna seculorum indoles et paullatim imminens barbaries a pio Mantuano abhorrere eiusque oblivisci coeperat †), quum solummodo sub allegoricae interpretationis

---

*) Tiberius senatus consultum de mathematicis magisque Italia expellendis sanxerat, haud dubie maxime astrologorum praedictiones veritus. cf. Suet Tib. 36.

**) Cf. Memorabilia p. 18. Sic in mysterio seu sacro spectaculo Rotomagi nativitatis Christi festo anno 1050 acto et historiam septem prudentium virginum biblicam exponente post Iohannem apostolum etiam Virgilius sanctam Virginem adoraturus procedit, his versibus a choro provocatus: „Vates Maro gentilium, Da Christo testimonium", cui Virg. respondet: „Ecce polo demissa solo" etc. Cf. Monmerqué et Michel theatr. fr. au moyen age p. 9.

***) Ita Creizenach in Programm. Francof. a. M. 1864 „Die Aeneis, die vierte Ecloge, und die Pharsalia im Mittelalter", qui de fabulis pauca, sed erudita rerum scientia de ceteris Virgilianis memoralibus multa protulit.

†) Inprimis patres ecclesiae conscientiae religione permoti et conciliorum asperitate timefacti omnium veterum lectionem fugere coeperunt, ita Tertullianus, qui in febris ardore divini iudicis verba se audire opinatus est haecce: „Ciceronianus es, non Christianus!" et hinc cum vera aut simulata indignatione sacerdotes castigavit, qui „Virgilium tenerent", et Beda Venerabilis, qui opus suum historicum his verbis incipit; „Bella Maro resonet, nos pacis dona canamus, munera nos Christi." Seculo XII in cantilena satyrica legitur: „Verae pestilentiae cathedra tu sedes, qui Thebanas lectitas vel Troianas caedes." (Creizen. l. l. p. 7.) Quantum vero Aeneidos lectio etiam tum, fortasse magis in nobilium quam in clericorum circulis, effecerit, inter alia ex ista fere ridicula Francorum opinione apparet, ex qua optimates illius temporis e gente Troica nomen vel adeo gentem suam se deducere posse gloriabantur. Ita apud Paulum Warnefrid:

Pippinus proavus, quo non audacior ullus;
Ast abavus Anchisa potens, qui ducit ab illo
Troiano Anchisa longo post tempore nomen.

velamine in scholis et monasteriis quasi furtim vigeret, donec inde a seculo XII et sequ., quum bella pro Christi sepulcro suscepta hominum mentes admodum incitassent et aevo romanticam, quam hodie dicunt, indolem impressissent, Virgilius quasi heros prorsus novus et necromanticus ad lucem prodiit. Illa vero necromantiae ars, posthac haud sine consilio nigromantica appellata, iam seculo decimo florebat. Cuius mysteria*) inde a priscis temporibus usque ad nostra ab hominibus culta nec unquam omnino neglecta quamvis cum huius libelli argumento arctius cohaerere videantur, tamen eius ubertate moneor, ut invitus illis prorsus omissis ad ipsas Virgilianas fabulas enarrandas protinus transeam, quod eo magis excusabitur, cum in illis ipsis Virgilianis fabulis omnis magiae apparatus, veneficiorum et canticorum, fascinationis et amuletorum, exorcismi vel theurgiae et quae sunt alia huius modi, omnino desiderentur et insuper iam seculi XVI scriptores, qui res magicas ad certam disciplinam revocarunt, ut Agrippa ab Nettesheim in libro de occulta philosophia et alii, Aeneida saepissime citantes, de Virgilio mago prorsus nihil tradiderint. Antea vero opus est, ut scriptores maxime seculi XII et XIII, e quibus ut e fontibus principalibus huius superstitionis notitia fluxerit, paucis recenseam locosque huc pertinentes proponam.

Quum vero ante secul. XII de illa mira Virgilii indole, praeter ea, quae supra e Donato excerpsi, certae ac definitae notionis vestigium nusquam ullum reperiatur, subito apud aliquot scriptores haec res tamquam inter Italos, certe Neapolitanos, pervulgata nec addubitanda commemoratur.

Illorum fabularum quasi choragus est *Conradus de Querfurt*, qui, episcopus Hildesemensis designatus, anno 1194 munere officioque cancellarii mandata domini sui, imperatoris Henrici VI, in civitate Neapolitana et Sicilia eius vice fungens perfecerat. In epistola**), quae mira simplicitate ac lepore hodieque lectorem delectat, amico suo Herbordo, Hildesemensis ecclesiae praeposito ac ceteris conventualibus fata sua in longo molestoque Alpium transgressu perpetrata enarrat, princeps longi illius agminis auctorum, qui itinera sua in Italiam facta describerent. Simul pia Romanae antiquitatis reverentia atque credulo et superstitioso quodam ardore vera ac falsa in hac classici quasi theatri intuitione miscet. Sic Rubiconem fluvium transgressus belli civilis, Sulmonem urbem intrans Ovidii, Cannis versatus Hannibalis pie meminit. Occurrunt ei prope Sulmonem arbores miraculosae, de quibus si quis ramum decerpserit, ait, hunc aut eodem anno in fata concedere aut

---

Londinum tunc „novam Troiam“ appellabant et in Walthario Eccehardi v. 27 reperitur:

Nobilis hoc Hagano fuerat sub tempore Ayro
Indolis egregiae, veniens de germine Troiae,

et Franci in Dagoberti regis decreto „ex nobilissimo et antiquo Troianorum reliquiarum sanguine orti“ dicuntur. Simili modo etiam Iuliam gentem et complures veteris Romae patricios a Troico sanguine suam originem vana nobilitatis superbia derivasse constat.

*) Cf. Paully Reallex. sub voc. Magia, G. Schotti Magia universalis I, 47 II 206 et Scheible, das Kloster II, et alibi.

**) Cf. Leibnitzii scriptor. brunsvic. illustr. II, p. 695. O. Abel, König Phil. der Hohenst. p. 356 et Petrus de Ebulo carmen de motibus Siculis ed. Engel. Basil. 1756. p. 448.

certe longae et acutissimae febris non evadere insultum; in quas asserant — „si credere est dignum," cautius addit — sorores Phaëthontis post lacrimosas fratris exequias miseratione superûm transformatas. Ita Neapolin ingressus ad miracula de Virgilio ipsi relata pervenit. Quod vero his ipsis enumerandis maiorem epistolae partem complevit, non mirabimur, si reputaverimus, ei mandatum fuisse, ut muros huius urbis, quae anno 1191 imperatori obsidenti restitisset, tum vero anno 1194 voluntaria pactione arma tradidisset, devastaret, eosdem muros, quos inde ex tot seculis artificio magi Virgilii tutos atque inexpugnabiles redditos esse audiebat. Haec Conradi epistola propter mirabile argumentum a conventualibus, quibus missa erat, chronico monasterii posthac inserta diu in oblivione quadam remansit, donec Leibnitzius in editione scriptorum rerum Brunsvicensium eam rursus in lucem protulit. Ad Virgilium autem haec pertinent:

„Vidimus etiam operosum opus *Virgilii, Neapolin*, de qua nobis mirabiliter Parcarum pensa dispensaverunt, ut muros civitatis eiusdem, quos tantus fundavit et erexit philosophus, imperialis iussionis mandato destruere deberemus. Non profuit civibus illius civitatis eiusdem *imago* in *ampulla vitrea magica* arte ab eodem Virgilio inclusa, arctissimum habente opificium, in cuius integritate tantam habebant fiduciam, ut eadem ampulla integra permanente, nullum pati posset civitas detrimentum. Quam ampullam sicut et civitatem in nostra habemus potestate et muros destruximus, ampulla integra permanente. Sed forte quia ampulla modicum fissa est, civitati nocuit. — In eadem civitate est *equus aereus*, magicis incantationibus a Virgilio sic compositus, ut ipso integro permanente, nullus equus possit redorsari (?), cum tamen de vitio naturali sit illi terrae proprium, ut ante equi illius compositionem et post eiusdem equi quantulamcunque corruptionem nullus equus sine dorsi fractura possit equitem aliquamdiu vehere. — Ibidem est *porta* firmissima, instar castelli aedificata, valvas habens aereas, quas nunc satellites tenent imperiales, in qua constituerat Virgilius *muscam aeream*, qua integra permanente nec una musca civitatem potuit intrare. — Sunt ibidem in castro vicino in supercilio civitatis undique mari incluso, *ossa* Virgilii, quae si libertati exponuntur aëris, totius facies aëris obscuratur, mare funditus evertitur et tumidis aestuat procellis, insperateque consurgit strepitus tempestatis, *quod nos vidimus et probavimus.* — Sunt in vicino loco *Baiae*, quarum meminerunt auctores, apud quas sunt *balneae Virgilii* singulis passionibus corporis utiles. Inter quas balneas unum est principale et maximum, in quo sunt imagines hodierno tempore vetustate consumtae, singulas singularum partium corporis passiones demonstrantes. Sunt et aliae imagines gypseae singulae singulas balneas demonstrantes singulis passionibus profuturas." Tum postquam Conradus in descriptione itineris usque ad Siciliam descendit et apud Aegates insulas illius Pauli apostoli miraculi mentionem fecit, quo ille venenoso serpentis morsu vulneratus manum intrepidus excutiens continuo sanatus est, ex quo miraculo posthac incolae illius regionis a cuiusvis serpentis morsu tuti redditi sint, iterum his verbis ad Virgilium redit: „Caeterum ad mentem reducimus, quod apud Neapolin est quaedam *porta,* quae *ferrea* nuncupatur, in qua Virgilius omnes *serpentes* illius regionis inclusit, qui propter aedificia subterranea et cryptas, quae ibidem plurimae sunt, abundant: quam solam inter ceteras portas destruere timebamus, ne serpentes inclusi de carcere egredientes ter-

ram et indigenas molestarent. — Est in eadem civitate *macellum* sic a Virgilio constructum, ut *caro animalis occisi* in ipso per sex hebdomadas maneat recens et incorrupta: si exportetur, foeteat et appareat putrida. — Est ante civitatem *Vesevus* mons, ex quo ignis multos evolvens cineres foetidos intra decennium semel solet exhalare: cui Virgilius opposuerat *hominem aereum,* tenentem balistam tensam et sagittam nervo applicatam. Quem quidam rusticus admirans, eo quod semper balista tensa nunquam percuteret, inpupulit nervum. . Sagitta prosiliens percussit os montis et continuo flamma prosiluit nec adhuc certis vicibus cohibetur. — Est ante eandem civitatem insula, quae vulgo Ischya dicitur, in qua ignis cum fumo sulphureo evomitur continuus, ita ut quoddam adiacens (castrum?) ita paulatim etiam ipsa saxa et ipsum scopulum consumserit, ut ibi vestigia castri non appareant. Ibi firmissime asseritur os esse inferni et ibi esse loca poenalia referuntur. Ibi etiam *Aeneas* fingitur ad inferos descendisse. Videntur circa eundem locum qualibet die sabbathi circa horam nonam volucres in quadam valle nigrae et sulphureo fumo deturpatae, quae ibi quiescunt per totum diem dominicum et in vespere cum maximo dolore et planctu recedunt, nunquam nisi in sequenti sabbatho reversurae, et descendunt in lacum ferventem. Quas quidem afflictas animas credunt et daemones. — Est ibidem *mons* Barbarus ad quem per *viam subterraneam* per medium maximi montis accessimus per tenebras infernales, tanquam ad inferos descensuri. In quo monte, in ipsius montis visceribus, maxima sunt palatia et vici, quasi maximae civitates, subterranei et fluvii ferventis aquae subterranei, quos quidam ex nostris viderunt et sub terra quasi per spatium duorum milliarium processerunt. Ibidem *thesauri* septem regum asseruntur repositi, quos daemones custodiunt in aereis imaginibus inclusi, diversas terribiles imagines praetendentes, quidam acu intenso, quidam gladiis, quidam aliis comminantes. Haec et alia plura vidimus, quorum non possumus per singula meminisse."

Fere eiusdem temporis alius rerum Italicarum auctor de Virgilio mago memorabilia protulit, *Gervasius* Tilburiensis, natione Anglus, qui primo professor ius canonicum Bononiae docens, tum mareschallus Arelatensis et cancellarius imperatoris Ottonis IV., illius Hohenstauficae gentis obtrectatoris, celeberrimum librum *Otia imperialia* anno 1211 conscripsit: in cuius tertia decisione mirabilia uniuscuiusque provinciae fere nullo rerum ordine observato describit et inter alia etiam ea, quae ipse anno 1191 Neapoli versatus e vulgi ore exceperat. Quamvis Leibnitzius*), moneat, illum vixisse eo seculo, quod cum proximo omnium seculorem post Christum natum ineptissimum esse compererit, tamen Gervasium concedendum est copiosam veterum auctorum notitiam prodidisse et propter singulare mirabilium studium, fortassis a strenuo illo „Monadum" inventore minoris aestimatorum, quo regis Britannorum Arthurii, incantatoris Merlinii, equitis Lohengrini aliorum fata describens, credulitatis ac levitatis interdum, sed nunquam apertam mendacii vel fictionis maculam sibi contraxerit, nostram quodam modo gratiam promeruisse et praecipuum mythorum medii aevi fontem iure aestimandum esse. Quid vero auctor ipse de suo opere iudicaverit,

*) Leibnitz script. rer. brunsvic. I, 881. Praeterea florilegium Gervasii edidit Felix Liebrecht (Hannover 1866), cuius textum recepimus.

apparet ex iis quae decis. III, cap. 84 historiolae cuidam addit: „Cum haec et his similia tuae Celsitudini, princeps serenissime, memoramus, nihil aliud agimus, nisi quod tuae sollicitudinis seria otiorum parenthesi temperamus, quae licet vanitati linguosae possint adscribi, sustinenda tamen sunt ex eo, quod non modicam ad multa praestare possunt doctrinam aut cautelam.“ Ita factum est, ut nostra medii aevi notitia in rebus historicis, geographicis, maxime vero mythicis per Gervasium incrementa haud spernenda nacta sit atque ut stili barbaries, anacoluthorum obscuritas, vocabulorum pompa et quasi ampullae rem ipsam fucantes, quae huic ut ceteris illius seculi auctoribus propria sunt, argumenti et varietate et ubertate compensarentur. Num Gervasius, ut nonnulli contendunt, primus de Virgilio mago fabellas scribendo pervulgaverit, dubitare licet*), quod praeter Conradum, qui privato quidem scripsit consilio, etiam *Iohannes Saresberiensis*, celeber ille episcopus Autricensis, qui anno 1155 regis legatus in Italiam profectus et diu in Apulia Beneventi, Canusii, Neapoli commoratus erat, ex propria intuitione in libro, cui Polycraticus inscriptum est, et cuius nonnulla afferendi infra occasio praebebitur, illam muscae aereae effigiem ut a Virgilio confectam describit. Caeterum Gervasius ipse maxime ex historia scholastica *Petri Comestoris* († 1178) hausisse videtur, qui mirabilia multa de libris, annulis, radicibus magicis compilavit et haec omnia a Salomone magiae fama apud Iudaeos inclyto deducens Virgilium ipsum nusquam commemorat. — Gervasius autem in Otiis imperialibus de Virgilio haec profert:

Decisio III, cap. 10. „In Campania, civitate Neapolitana, scimus Virgilium arte mathematica *muscam* erexisse aeneam, quae tantae virtutis in se habuit experimentum, quod, dum in loco constituto perseveravit integra, civitatem late spatiosam nulla musca ingrediebatur. —

cap. 12. De *carne imputrescibili* macelli. — Iam nunc ad civitatem Campaniae Neapolin redeamus, in qua *macellum* est, in cuius pariete insertum perhibetur a Virgilio frustum carnis tantae efficaciae, quod, dum illic erit inclusum in ipsius macelli continentia, nulla caro quanto tempore vetusta nares olefacientis aut intuentis adspectum aut comedentis saporem offendet. — Est et in eadem civitate *porta* Dominica, Nolam, Campaniae civitatem olim inclytam respiciens, in cuius ingressu est via, lapidibus artificiose constructa. Sub huius viae sigillo conclusit Virgilius omne genus reptilis nocui: unde provenit, quod, cum civitas illa, in ambitu plurimum spatiosa, tota columnis subterrenis innitatur, *nusquam* in cavernis aut rimis interioribus, aut hortis intra urbis moenia conclusis, vermis nocivus reperitur.“ — Iam Gervasius ad tertium transiturus, narrat, sibi anno, quo Acco obsideretur, Salerni versanti subito hospitem supervenisse, quocum iter Neapolin faustissimo successu

---

*) Cf. Roth l. l., qui praeter Ioannem Saresberiensem etiam alios testes Conrado antiquiores citat, ut auctorem vitae S. Guilelmi Vercellensis (1190), auctorem carminis contra ecclesiasticos conscripti (circa 1180), in quo: „formantem video aereas muscas Virgilium“ legatur, denique Chronicon Alexandri abbatis Telesani (circa 1135), qui diserte dicat, Virgilium Augusti imperatoris gratiam et favorem adeo sibi comparasse, ut „urbem Neapolin simulque provinciae Calabriae dominatum caducam ab eo receperit retributionem“, quae certe inter fabulosa referenda esse patet.

suscepisset. Illic in hospitio Iohannis Tinatelli, Neapolitani archidiaconi posthac Cardinalis, „*scientia*, moribus et sanguine illustris", qui sub papa Alexandro III. magnae auctoritatis fuerat et anno 1175 mortuus est, cum amici mirarentur, quod omnia tam bene proficiscentibus successerint, Gervasius interrogatur, per quam urbis Neapolis portam intraverit, et qua parte aditus, dextra sinistrave, et respondet: „Cum ad ipsam veniremus portam et paratior nobis ad sinistram pateret ingressus, occurrit ex improviso asinus, lignorum strue oneratus, et ex occursu compulsi sumus ad dextram declinare. Tunc ille: „Ut sciatis, quanta miranda *Virgilius* in hac urbe fuerit operatus, accedamus ad locum et ostendam, quod in illa porta memorabile reliquerit Virgilius super terram." Accedentibus nobis ostendit in dextra parte *caput parieti* portali *insertum* de marmore Pario, cuius rictus ad *risum* et eximiae iucunditatis hilaritatem trahebantur. In sinistra vero parte parietis erat *aliud* caput de consimili marmore infixum, sed alteri valde dissimile, oculis siquidem torvis *flentis* vultum atque irati, casusque infelicis iacturam deplorantis praetendebat." Ex his tam adversis vultuum imaginationibus duo sibi contraria fortunae fata proponit archidiaconus omnibus ingredientibus imminere, dummodo nulla fiat declinatio ad dextram sive ad sinistram et ex industria procurata; sed sicut fatalia sunt, fato eventuque comitantur. Quisquis ad dextram istam civitatem ingreditur semper dextro cornu ad omnem propositi sui effectum prosperatur, semper crescit et augetur; quicunque ad sinistram flectitur semper decidit et ab omni desiderio suo fraudatur. —

Cap. 13: „Erat in confinio eiusdem civitatis Neapolitanae, velut ex opposito, mons Virginum, in cuius declivo, inter praerupta saxorum aditu gravi, Virgilius *hortum* plantaverat multis herbarum generibus consitum; in hoc invenitur herba Lucii, quam oves caecae quandoque tangentes statim acutissimum visum recipiunt. In eodem erat *imago aenea buccinam ad os tenens*, quam quoties auster ex obiecto subintrabat, statim ipsius venti flatus convertebatur. Quid autem conversio ista Noti commodi portabat audite. Est in confinio civitatis Neapolitanae mons excelsus, mari infixus, subiectam sibi Terram Laboris (Terra di Lavoro) spatiosam prospectans. Hic mense Maio fumum teterrimum eructat et interdum cum cinere ardentissimo ligna proiicit exusta in carbonis colorem. Unde illic quoddam Inferni terreni spiraculum asserunt ebullire. Flante ergo Noto pulvis calidus segetes omnesque fructus exurit sicque terra feracissima ad sterilitatem ducitur. Ob hoc tanto regionis illius damno consulens *Virgilius* in opposito monte statuam, ut diximus, cum tuba erexit, ut ad primum ventilati cornu sonitum et in ipsa tuba flatus subintrantis, impulsum Notus repulsus *vi mathesis* quassaretur. Unde fit, quod, statua illa vel aetate consumpta vel invidorum malitia demolita, saepe pristina damna reparantur. —

Cap. 16. *De rupe incisa, quae nullas admittit insidias.* — In eodem confinio est mons mira virtute ad modum *cryptae* concavus, cuius tanta est longitudo, quod medium tenenti vix duo capita comparent. *Arte mathematica* haec operatus est *Virgilius*, quod in illo montis opaco inimicus inimico si ponit insidias, nullo dolo nullove fraudis ingenio suae malitiae in nocendo dare potest effectum.

Cap. 112. De *ossibus Ioseph et ove.* — Antea commemorans, ossa Iosephi patriarchae Iudaeis molestias in reditu ex Aegypto perferendas vaticinata esse, haec addit: „Ecce

novum, quod nostris temporibus accidit. Tempore regis Siculi Rogerii quidam magister, natione Anglus, ad regem accessit, postulans aliquid a rege munifico dari. Cumque rex illustris genere et moribus arbitraretur, aliquod a se beneficium peti, respondit: „Pete, quod vis beneficium et dabo tibi.“ Erat enim petitor summe literatus, in trivio et quadrivio potens et acutissimus, in physica operosus, in astronomia summus. Ait ergo regi, se non solatia temporalia petere, sed potius, quod apud homines vile putatur, *ossa* videlicet *Virgilii*, ubicunque possent inveniri intra metas regni sui. Annuit rex, et magister acceptis literis regiis *Neapolin* venit, ubi Virgilius studia ingenii sui in multis exercuerat. Porrectis literis populus obedientiam parat et, ignarus sepulturae, libenter annuit, quod pro impossibili credebat existimandum. Tandem magister arte sua ad manum ducta reperit ossa infra tumulum in medio montis cuiusdam, ad quem nec signum scissurae dignoscebatur. Foditur locus et effoditur post longos labores *tumulus*, in quo invenitur *continuum corpus Virgilii* et ad caput *liber* (cf. infra XI et XIV), in quo *ars notoria* erat inscripta cum aliis studii eius characteribus. Levatur pulvis cum ossibus et liber a magistro extrahitur. Ad haec populus Neapolitanus attendens, specialem affectionem, quam habuerat Virgilius erga civitatem, timens, ne ex ossium extractione enorme damnum civitas tota pateretur, elegit susceptum mandatum regis eludere, quam obediendo tantae urbis excidio occasionem praebere. Arbitrabatur enim, eo consilio Virgilium sibi in montis arcano tumulum posuisse, ne ossa eius evecta artificiorum suorum importarent interitum. Magister ergo militum cum turba civium ossa coniuncta copulant et in culeo reposita in Castello Maris ad urbis ipsius confinium deferunt, ubi per medias crates ferreas intueri volentibus ostenduntur. Requisitus autem magister, quid de ossibus facturus erat, respondit, se per coniurationes effecturum, quod ad eius interrogationem *ossa omnem Virgilii artem ipsi panderent;* quin imo satisfactum sibi proposuit, si per quadraginta dies ei ossium copia daretur. Asportato ergo libro solo magister abiit et *nos* quaedam ex ipso libro per venerabilem Iohannem Neapolitanum, Cardinalem tempore Papae Alexandri, *per excerpta vidimus* et *probari* verissima rerum experientia fecimus.

Cap. 113. Est etiam in civitate Neapolitana civitas *Puteolana*, in qua *Virgilius* ad utilitatem popularem et admirationem perpetua *balnea* construxit, miro artificio aedificata, ad cuiusvis interioris atque exterioris morbi curationem profutura singulisque cochleis singulos titulos superscripsit, in quibus notitia erat, cui morbo quod balneum deberetur. Verum novissimis diebus, cum apud Salernum studium physicorum vigere coepisset, Salernitani invidia tacti titulos balneorum corruperunt timentes, ne divulgata balneorum potentia lucrum practicantibus auferret aut diminueret.“

His testibus accedit Helinandus († 1227), qui in monasterio Cistertiensi in „Monte frigido“ prope Bellovacum Chronicon conscripserat anno 1204, cuius magna pars in „Speculum historiale“*) Vincentii Burgundi, praesulis Bellovacensis († 1264) recepta esse videtur. Vincentius vero haec de Virgilio ex Helinando excerpta praebet (VI, 62):

„De commendatione Virgilii et gestis eius:

---

*) Duaci 1624. fol. tom. IV. p. 190.

„Constat Virgilium inter omnes optimum fuisse poetam. Macrobius dicit eum nullius scientiae fuisse expertem Iuvenalis eum Homero comparat vicesimo: Conditor Iliados cantabit atque Maronis altisoni dubiam facientia carmina palmam, etc. Ab hoc Virgilio multa dicuntur mirabilia actitata: in *porta* Neapolis Campaniae dicitur fecisse *muscam* aeneam, quae omnes muscas ab urbe expellebat. — In eadem urbe dicitur *macellum* sic construxisse, ut nulla ibi caro putresceret. — Dicitur quoque *campanile* quoddam sic construxisse, ut *turris ipsa lapidea eodem modo moveretur,* quo campanae compulsabantur: sed hoc verum non videtur, cum usus campanarum nondum inventus esset, nisi forte usus earum prius fuerit apud paganos quam apud christianos. Sed et *hortum* quendam sic fecisse dicitur, ut in eo non plueret. — De *balneis* quoque eius incredibilia narrantur. — Creditur etiam a quibusdam ab eo factum illud miraculum quod dicebatur *salvatio Romae,* quod inter septem miracula mundi plerumque primum computatur. Erat autem ibi consecratio statuarum, quae statuae scripta nomina in pectore gentis, cuius imaginem tenebant, gestabant, et tintinnabulum unius cuiusque statuae collo appendebat erantque sacerdotes die ac nocte semper vigilantes, qui eas custodiebant et quae gens in rebellionem surgere conabatur, contra imperium Romanorum, statua illius commovebatur et tintinnabulum illius movebatur in collo eius et, ut quidam addunt, statua ipsa mox digitum indicem protendebat versus illam gentem et versus nomen ipsius gentis, quod in ea erat scriptum. Quod nomen scriptum continuo sacerdos principibus deportabat et mox exercitus ad eas gentes reprimendas mittebatur.“ —

Neque vero illorum aequalis Alexander Neccam (interdum: Nequam) silentio praetermittendus est, qui anno 1157 Herefordi in Brittania natus, post e monasterio Augustinorum progressus Parisiis c. 1180 disciplinas theologicas docebat et anno 1214 mortuus est. Ex uno eius operum, quae nostro demum tempore typis expressa sunt*), libro de naturis rerum varia Virgiliana in aliorum horrea transierunt. Sic in chronico urbano Villanii, de quo infra dicendum erit, in ea „Gestorum Romanorum“ parte, quae germanico sermone scripta est, etiam in Gualteri Burlaei (Burleigh), Oxoniensis theologi, opere historico eoque rarissimo**), qui anno 1275 natus et posthac sub nomine „doctoris plani et perspicui“ celebratus principem regium Eduardum (III) educavit, variae fabellae Virgilianae de Neccami libro depromptae reperiuntur. Qui et ipse Neapoli versatus esse videtur, cum asseveret, se muscam aeream, quam Virgilius confecerit, in fenestra castelli Capuani conspexisse. Liceat vero ipsos locos hic inserere:

Alexander Neccam de naturis rerum, cap. 109:

„De *vulgari serpente.* — Serpens vulgaris homini dormienti dat inducias, sed cum expergiscitur homo, a serpente pungitur. Virgilius igitur repatrians, dulcibus Athenis, in quibus propter studium philosophorum Pallas coli dicebatur, relictis, non animo sed cor-

---

*) Cf. Rerum Brittanicarum medii aevi scriptores: Alexander Neccam de naturis rerum libri duo ed. Thomas Wright. Londini 1863.

**) Cf. Gualter Burley vita philosophorum et poetarum cum auctoritatibus et sententiis aureis eorundem annexis: impressus in officina industrii Henrici Gran, calcographi in oppido imperiali Hagenau civis, in vigilia Thomae apostoli, anno domini 1510. (Dresd. bibl.)

pore fatigatus ex itinere, locum amoenum in recessu quodam elegit, ut somno artus recrearet, ignarus serpentis, qui domicilium ibidem elegerat. Dormientis autem labro *culex* insedit, custos vitae tanti hospitis. Dum enim os patens philosophi iam semiexcitati et aliquantisper adhuc somni deliciis torpentis, serpens intrare moliretur, culex acerrime labrum pungens Maronem a somno prorsus excitavit et hic, manu velociter adducta, liberatorem, cui vitam debuit, nescius interemit. Beneficio itaque manus os obtegentis exclusus est hostis et eadem peremptus. Advertens autem gloriosus vatum apex se conservatorem vitae suae neci dedisse, manum propriam sceleris arguit, et dum feliciter a culice se conservatum deprehendit, infelicem se in nece custodis sui censuit. Honoris autem gratiam quam potuit culici suo retulit, dum ipsum in loco delicioso recondit et, epitaphium nobile, materiam eventus continens, in laudem eius conscripsit. Immo et libellum edidit, quem „De culice" inscripsit; matura namque pectora seriis ludicra interserere norunt, recreationis gratia." Tum huic relationi addit, raram quidem fidem historiarum esse et rem, qualem in ipsius Virgilii libro inspiciendo ex parte mutatam repererit, lectoribus explicat, denique, apposita „adaptatione" i. e. allegorica fabulae interpretatione (qualis in gestis Romanis *moralisatio* dici solet) serpentem ut typum plurium rerum, quin Christi ipsius, demonstrare studet.

Cap. 174: „De locis, in quibus artes floruerunt liberales. Mantuano vati servivit Neapolis, quae cum infinitarum *sanguisugarum* peste lethali vexaretur, liberata est proiecta a Marone in fundum putei hirudine aurea. Qua evolutis multorum annorum curriculis a puteo mundato et eruderato extracta, replevit infinitus hirudinum exercitus civitatem, nec sedata est pestis, antequam sanguisuga aurea iterato in puteum suum mitteretur. — Notum est etiam, quia *macellum* Neapolitanum carnes illaesas a corruptione diu servare non potuit, unde et carnifices summa vexati sunt inedia. Sed hanc incommoditatem excepit Virgilii prudentia, carnem nescio qua vi herbarum conditam in macello recludentis, quae, quingentis annis relapsis, recentissima et saporis optimi suavitate commendabilis reperta est. — Quid quod dictus vates *hortum* suum, aëre immobili vicem muri obtinente munivit et ambivit? Quid quod pontem aërium construxit, cuius beneficio loca destinata pro arbitrio voluntatis suae adire consuevit? — Romae item construxit nobile *palatium,* in quo cuiuslibet regionis imago lignea *campanam* manu tenebat. Quotiens vero aliqua regio maiestati Romani imperii insidias moliri ausa est, in continenti proditricis icon campanulam pulsare coepit. *Miles* vero *aeneus,* equo insidens aeneo, in summitate fastigii praedicti palatii hastam vibrans, in illam se vertit partem, quae regionem illam respiciebat. Praeparavit igitur expedite se felix embola Romana iuventus, a senatoribus et patribus conscriptis in hostes imperii Romani directa, ut non solum fraudes praeparatas declinaret, sed etiam in autores temeritatis animadverteret. Quaesitus autem vates gloriosus, quamdiu a diis conservandum esset illud nobile aedificium, respondere consuevit: „Stabit usque dum pariat virgo." Hoc autem audientes, philosopho applaudentes, dicebant: „Igitur in aeternum stabit." In nativitate autem Salvatoris fertur dicta domus inclita subitam fecisse ruinam."

Gualterius Burleius, qui plerumque ad verbum Neccamum descripsit, haec habet in vita philosophorum fol. XXXV: „Hic philosophia naturali praeditus etiam necromanticus fuit et mira quadam arte illa fecisse narratur. In porta Neapolis Campaniae dicitur fecisse

muscam aeneam, quae omnes muscas ab urbe expellebat. — In eadem urbe macellum sic construxisse fertur, ut nulla ibi caro putresceret. — Narrat etiam Alexander Nequam in libro de naturis rerum, quod *macellum* Neapolitanum carnes illaesas a corruptione diu servare non poterat: sed hanc incommoditatem prudentia Virgilii excepit recludentis carnem nescio qua vi herbarum conditam: quae quingentis annis elapsis recentissima et optimi saporis suavitate commendabilis reperta est. — Neapolis cum letali peste *sanguisugarum* vexaretur, liberata est ab eo cum sanguisuga aurea proiecta in puteum: qua post multorum annorum curriculum extracta a puteo purgato innumerabilis sanguisugarum exercitus civitatis aquas invasit; nec prius pestis potuit sedari, quam illa sanguisuga in fundum eiusdem putei mitteretur. — Praefatus etiam Alexander Nequam narrat, quod Virgilius *hortum* suum aëre immobili vicem muri obtinente munivit et ambivit et pontem aërium construxit, cuius beneficio loca destinata pro arbitrio suae voluntatis adire consuevit. — *Campanile* quoddam sic dicitur construxisse, ut turris ipsa lapidea eodem modo moveretur, quam campanae, dum pulsarentur. — Hortum quendam fecisse legitur, ut in eo *non plueret.* De *balneis* eius mira et incredibilia narrantur. — Creditur etiam factum ab eo id quod dicitur *salvatio Romae.* Erat in templo quodam consecratio statuarum: quae statuae scripta nomina in pectore gentis, cuius imaginem tenebant, gestabant et tintinnabulum unaquaeque statua ad collum habebat. Erantque sacerdotes die noctuque semper vigilantes, qui eas custodiebant, et quae gens in rebellionem surgere conabatur contra imperium Romanum, statua illius commovebatur et tintinnabulum illius movebatur in collo eius et statua ipsa mox digitum indicem protendebat versus illam gentem et versus nomen illius gentis, quod in ea erat scriptum: quod nomen scriptum sacerdos principibus deportabat et mox exercitus ad eam gentem reprimendam mittebatur. — Hic scripsit libros tres bucolicon, georgicon, Aeneidos. Vixit autem annis LIII et Brundusii obiit. Ossa vero eius Neapolim translata sunt. Claruit autem tempore Pompeii."

Praeter hos etiam libellus: „Historia septem sapientum" illa miraculorum cupida aetate valde lectitatus hic commemorandus est, qui propter argumenti suavitatem ac varietatem aeque imperiti vulgi atque eruditorum hominum animos valde olim captavit, ut sensim in plures recentiores linguas translatus atque auctus celebritate sua et efficacia libros sacros fere assecutus esse, classicos vero, quos dicunt, superasse videatur.*) Si etiam hunc librum, qui duas tantum de Virgilio fabellas continet, inter fontes primarios referendum esse censui, nolo tamen infitiari, in eo magis, quam in ceteris, libero quasi ingenii volatu res commenticias produci et ne periculum quidem ab auctore fieri fidei suis historiolis faciendae, ita ut potius fabula Romanensis, quam hodie dicunt, quam chronicon historica dignitate

*) Ita saltem contendit Goerres „die teutschen Volksbücher" no 22. Inscriptio huius libelli in germanica recensione est: „Die sieben weisen Meister, wie Pontianus der Kaiser zu Rom seinen sohn Diocletianus den sieben weisen Meistern befiehlt, die sieben freien Künste zu lernen und wie derselbe hernach durch Untreu seiner stiefmutter und ihre Gleichnisse siebenmal zum Galgen geführet, aber allemal durch schöne Gleichnisse der sieben weisen Meister vom Tode errettet und ein gewaltiger Kaiser zu Rom ward." Cf. Ad. Keller: „li Romans de septes sages" et eiusdem: „Dyocletians Leben von Hans von Bühel" 1841.

praeditum existimari debeat. Huc accedit, quod prior certe pars, primo latine a Ioanne Altae Silvae (Haute Selve) monasterii prope Nanceium sub finem seculi XII coenobita sub titulo: „Dolopathos“ conscripta, ad exemplum orientalis cuiusdam fabulae Sindbad seu Syntipas*) appellatae adumbrata est. Quum vero ultimus huius libri compilator et patronus fabulae theatrum ex oriente in Italiam et in capitalem occidentis urbem Romam transferret ideoque omnia nomina commutaret, fieri potuit, id quod Rothius l. l. accuratius evincit, ut ille Ioannes monachus nonnullis fabulis ut e. g. illi de „Salvatione Romae“ nomen dilecti illius magi Virgilii, quod tum in omnium ore erat, adiungeret, unde fortasse in Helinandi collectanea, sed non sine quadam dubitatione ab eo receptae, transierunt.

Haud immerito etiam notissima illa fabularum collectio in numerum antiquissimorum nostri argumenti fontium referetur, quae nomine: „Gesta Romanorum moralisata“ medio seculo XIII a Petro Berchorio**) (Bercheur?), monacho Pictaviensi, primo, ut plerumque statuitur, latine scripta, tum in multas recentiores linguas translata et inprimis in germanica recensione admodum aucta est. Exemplaria latina plerumque 181 capita complectuntur, quibus in Germanicis Anglicisque editionibus 47 historiolae varii argumenti accesserunt. Qui libellus, praesertim arte typographica inventa ingenti exemplarium copia diffusus lectores illius aetatis mire delectasse, quin sacros ecclesiarum concionatores***) larga dicendi materia ditasse videtur, donec clara disciplinae Christianae emendatorum lux cum multis medii aevi tenebris etiam hasce simplices quidem et facetas sed fortasse propter gentilitatis quendam odorem suspectas fabellas sensim foro literario exploserunt, ut nonnisi in monasteriis solitariis illis atque humana societate paene exclusis viris ac mulierculis interdum clandestinas delicias pararent atque postremo sacro bibliothecarum pulvere obtegerentur. Nostro tandem tempore ille liber ex alto quasi sopore resuscitatus, sed a viris doctis diversissima ratione aestimatus est. Alii enim, ut Graessius, laudant eius candidam simplicitatem lepidamque hilaritatem ac mysticam passim profunditatem, sed lasciviora quaedam

*) Dacier in: Memoires de litterat. de l'Acad. Royale (Paris 1780 T. 41, 546) epitomen orientalis illius fabulae proposuit e graeca septem sapientum translatione, quae in regia bibliotheca Parisiis asservatur. Graeco illi exemplari inscriptum esse affirmat: „Συντίπας ὁ φιλόσοφος μεταβληθεὶς ἐκ τῆς Συριακῆς βίβλου εἰς τὴν Ἑλλάδος γλῶτταν.“ In praefatione Syri relatio ad Persam quendam Musum reducitur, qui et ipse rursus Indum imitatus sit. Etiam Assemannus (bibl. orient. 3, 221) testatur idem his verbis: Chusii, qui tertius Poro successit, temporibus floruit Sendebadus sapiens, auctor libri de septem consiliariis et magistro et doctore et matre regis etc. Cf. F. W. V. Schmidt Beiträge zur Gesch. d. romant. Poesie. p. 127.

**) Cf. Gesta Romanorum etc. ed. J. G. R. Grässe, qui dubitat, num re vera Berchorius, propter unius Glassii in philologia sacra (p. 312) testimonium, eorum auctor sit, et Elinandum quendam ut Gestorum compilatorem acutissime evincere studet.

***) Schelhorn Amoen. Eccl. I, p. 807 de Gestorum exemplari, quod possidebat, narrat, in margine foliorum ab iis, qui ante ipsum possessores fuerint, annotatum esse, quas fabulas et quando excerpta earum in sacros sermones recepissent, id quod inprimis a monachis paenulatis seu Capuzinis, quos dicunt, praedicatoribus factum esse videtur. Qua de causa Erasmus in laude stultitiae observavit: „Hic mihi stultam aliquam et indoctam fabulam ex speculo opinor historiali aut Gestis Romanorum in medium adferunt et eandem interpretantur allegorice, tropologice et anagogice.“ cf. Graesse l. l.

ex illius aetatis moribus excusanda esse censent, cum alii, ut Gervinus, morum corruptionem in eo conspicuam acerbe castigent, quippe quae ex eo in vulgus emanaverit. Illa Gesta vero tria tantum Virgiliana expresso magi nomine continent, quae suo loco infra inseremus. Sed verisimile est, etiam plures, in quibus „sapientis cuiusdam magistri", nomine non addito, mentio fit, ad eundem Virgilium pertinere.

Praeterea etiam Vindobonensis illius Ioannis Enenkel oblivisci nolumus, nuperrime quasi patefacti. Qui medio seculo XIII quae et in itineribus ipse observavisset, et ab aliis chronographis, inprimis ex memorabili illo incerti auctoris poëmate: *„Kaiserchronik"* hausisset, in suam cosmographiam versuum paene triginta millibus contextam recepit. Etiam Virgilianae aliquot fabellae illic narrantur. Hic liber, quem ipsum quidem inspicere mihi non contigit, proprio nitore carens et insuper, ut multi testantur, tumide scriptus, hoc tamen certe efficit, ut videamus, quomodo illae fabulae e patria sua satis brevi tempore in Germaniam transierint.

Ex omnibus vero mediae aetatis annalium scriptoribus largissimam eorum mythorum Virgilianorum copiam, qui urbem Neapolin eiusque viciniam attinent, praebet illud Chronicon Pseudo-Villanii*), qui dicitur, auctoris († 1348). Quod, quamvis demum anno 1382 a Barthol. Caracciolo absolutum, tamen ex antiquioribus fontibus manifesto haustum est et propter accuratiorem locorum definitionem atque ingenuam auctoris simplicitatem patriaeque amorem praecipuum fidei ius sibi vindicat et notiones tum temporis communes aperit, si cum aliis relationibus comparetur, quae primo e brevi peregrinorum viatorum intuitione cursim exceptae et insufficiente linguae italicae notitia variis erroribus adulteratae, tum a nugatorio quodam fabularum aucupe temeraria cum levitate dispersae esse videantur. Fere omnia, quae in hoc Villanii Chronico de Virgilio referuntur, in eo versantur, ut eius tanquam urbis sospitatoris praeclara de ea eiusque civibus merita luculenter praedicentur. Auctor, pro crassa quidem aevi caligine vera cum falsis miscens, Virgilium refert natione Lombardum, Andibus in vico prope Mantuam sito tempore Iulii Caesaris natum, quum Octavianus Marcellum praefectum urbis Neapolis instituisset, huic tamquam cancellarium et consiliarium**) adiunctum esse atque illius regionis deliciis mire allectum illic non solum Georgica conscripsisse sed etiam multa urbi eiusque incolis salutaria opera arte magica confecisse et tanquam eorum patronum sibi aeternum in popularium memoria monumentum exegisse, posthac vero in eadem urbe sepultum esse. Caeterum constat Neapolin seculo X ad imperium Byzantinum pertinuisse, sed eius principem sive „magistrum militum", ut appellaretur, prorsus sui iuris dominum fuisse, quam rei conditionem illi scriptores ad Augusti tempora temere transtulerunt.

---

*) „Le Chroniche de la inclita cita de Napole con li bagni de Puzzolo et Ischia di Giovanni Villani, Napoletano", cuius capita 17—33, prisca dialecto Neapolitanorum scripta Graessius libro suo: „Beiträge z. Litter. u. Sage" inseruit, quorumque translationem vernaculam iuvenis amicus et huius Afranei discipulus, H. Klinghardt, mihi libenter suppeditavit.

**) Notum est e Servio ad Aen. 6, 862 Virgilium pro illis versibus, qui memoriae Marcelli dedicati essent, gravi aere donatum esse, quod sensim eo auctum est, ut nonnulli contenderent, Virgilium pro illis versibus in libertatem assertum et urbem Neapolin cum provincia Calabria ut sui iuris possessionem nactum esse.

Praeterea opus est, ut post hunc Italum alterum commemoremus, cuius opus non tam antiquitate quam auctoris patria eminere videtur, scilicet Mantuanum B o n a m e n t e A l i p r a n d o, qui seculo XV ineunte Chronicon*) patriae suae urbis versibus contexuit. Nimirum Mantuae, quae Virgilium „genuit", ut ipse cecinisse dicitur, poetae celeberrimi memoriam nunquam prorsus evanuisse credere licet, cuius rei plura documenta habemus. Ita seculo XV illic nummi cudebantur, qui in antica parte imagine viri barbati vestitu habituque viri docti illius aetatis, in altera nomine Virgilii signati erant, et pro amuleto habebantur. Etiam statuae poetae in foro positae, a Carolo Malatesta, Riminorum tyranno in Mincium amnem quidem demersae, sed postea rursus sublatae et erectae mentio fit et hodieque in illa urbe porta est „Virgiliana" et campus, qui: „piazza di Virgilio" appellatur. Illa quoque cantilena testimonio esse potest, quae inde a seculo XIV quotannis in solemni ecclesiae missa in honorem Divi Pauli celebrata, haud dubie loci Actor. 28, 13 respectu, decantari solet, in qua fingunt, apostolum ad Maronis mausoleum ductum lacrimas fudisse.**) Eo ipso tempore, quo Virgilii memoria in piis civium animis vigebat, illud Aliprandi Chronicon prodiit, in quo vera quidem cum fictis aeque atque in ceteris de poeta traditionibus mixta sunt, sed tamen magis sincero Augusteae aetatis, ut ita dicam, colore infecta. Quidquid in Donati vita mirabilem Virgilii indolem demonstrare videbatur, a Mantuano auctore receptum est, sed nusquam liberiore rei tractatione vetusti temporis locique fines excedente.***)

Denique huic Mantuano opus nostratis F e l i c i s M a l l e o l i seu vernaculo sermone H e m m e r l e i n in Helvetia anno 1389 Turici nati, „decretorum doctoris iure consultissimi", si temporis rationem habemus, proxime accedit. Qui postquam anno 1426 Neapoli commoratus est, inter plura etiam dialogum *de nobilitate et rusticitate* scripsit, „sacrae theologiae, iurium, philosophorum et poetarum sententiis, historiis et facetiis refertissimum", ex quo, quum et idem perraro in bibliothecis reperiatur, locum Virgiliana continentem excerpsi:

„Cap. II. fol. VIII. *Nobilis:* Audi quid legerim de Virgilio sive Marone, qui idem est, qui spiritus huiusmodi sibi habuit in magna continuationis et assuetae conversationis familiaritate. Et inter ceteros sibi reperit precellentem et unum nimia sublimatum subtilitate. A quo dum quereret artis magicae et praesertim de sua specie, quae nigromantia dicitur, fundamenta diligentissime; qui post multa sibi retulit, quondam Salomonem, cui patebat omne scibile et omnis scientia, libros nigromanticae facultatis lingua chaldaica conscriptos in Chaldaeae montibus certis cavernosis et in spelunca profundissima solerter in diebus suis abscondisse. Et idem spiritus asseruit, se libros et cavernas experientia dudum vidisse: unde mandato Virgilii idem spiritus eundem assumpsit et, tamquam Habacuc propheta per angelum domini ducebatur, idem Virgilius brevissimo temporis

*) „Aliprandina osia Chronica della cità di Mantova di Buoamente Aliprando" in Muratori Antiqu. Ital. med. aevi, V, 3.

**) Cf. Memorab. pag. 18.

***) Cf. „Genthe, P. Virgil. X Eclogen", qui p. 62—6 argumentum chronici Alipr. exposuit. — In chronico Galli cuiusdam Jean d'Outremeuse († 1399) quod hucusque nonnisi MSC. Bruxellis asservetur et quod Prof. Borgnet editurus sit, satis plenam Virgilii vitam multis ac novis historiolis locupletatam contineri docet Liebrecht l. l. p. 262.

spatio de neapolitana civitate, ubi cum Octaviano Augusto moram traxerat, eiusdem spiritus ministerio huiusmodi libros invenit, et artem nigromantiae subtiliter cum libris omnibus ibidem manentibus deduxit. Fertur etiam quod cum iisdem libris quidam spiritus malignissimus et astutissimus sigillo Salomonis in vitrio vase latebat reclusus: quem cum pacto Virgilius relaxavit, ut ipsum ad legendum libros et intelligendum, qui lingua, quam non noverat, videlicet literis caldaicis, fuerant conscripti, profectius informaret. Et dum intraverat, mox iam dicto sigillo firmiter, ut prius, inclusit. et ipsum in spelunca montis reclusum perpetuo reliquit, quod spiritum eundem libere derelictum toti mundo novit nociturum. Et taliter cum Virgilio per spiritum priorem reducto ars nigromantiae primum et statim antê Christi nativitatem in Europa saltem populo patebat italico. Dum idem Virgilius nigromantiae disciplina reversus sufficienter edoctus apud Octavianum in civitate Neapolitana moram traheret, desideravit, quod sibi domum singularem extra hominum conversationem construeret. Igitur abinde per duas leucas in Tripergula, quae est locus in sinu maris montibus altissimis circumseptus, mox ministerio spirituum mirae magnitudinis *palatium rotundum* et altissimnm fundavit, *quod hodie comparet, prout oculis meis vidi.* In eodem territorio viginti quatuor *aquarum* venas *calidarum* virtutum diversarum, colorum et odorum visibiliter distinctorum, perpetuo scaturizantes, ordinatim et limialiter iuxta littus maris manentes instauravit, sed verius per daemonum revelationes, qui cuncta secreta aut qualitercunque terrae viscera noverant, exquisivit, et ipse consequenter de cavernis intimis ad extremitates terrae colavit et insuper pro rudibus scripturarum agnitione carentibus posuit ad quamlibet fontanam et ad aquarum receptacula, in quibus homines balneabantur, prout hodie lavantur ibidem, statuas imaginum et personarum figuras, in sui corporis parte demonstrantes infirmitates singulas, contra quas thermae et fontes quaelibet perficiebant: quas ex post medici graviter odio necnon emolimenti damno commoti devastarunt. — Ordinavit insuper Virgilius praedictus in Tripergula quoddam sudarium in locum undique clausum, ad instar Stufarum (?) in Almania artificialiter ad lavandum et sudandum constructarum pertinenter ordinatum. Et duplex est et taliter dispositum. Nam in quolibet loco taliter manibus hominum constructo et testudinato de cavernis terrae calor erumpit calidus et humidus naturalissime, in quo homines terrae et praesertim arthritici, podagrici et chiragrici aut vulneribus nervorum coagulatorum constricti pristinam resumunt incolumitatem. Et quod locus iste, qui Tripergula dicitur, fuit electus per Virgilium, ut ab humanae societatis eliminaretur frequentia, quod circumseptus est ab una parte profundo maris et ab alia montibus saxeis excellenter prominentibus, ultra quos Virgilius ambulare solebat cum familia de domo sua ad palatium imperatoris in civitate praedicta residentis. Unde contingebat, quod ipse Virgilius unum de familia sua cubicularium sibi specialissimum ab imperatoris palatio dirigeret in suam habitationem pro quodam libro facultatis nigromanticae firmiter obtestando nec librum eundem aperiret aut signacula sua resolveret. Unde in eodem cubiculario in tantum incitabat affectum prohibitio, quod alias facturus non memor fuerat, mirando concitatus attemptabat. Et sic in pede montis, quem ascensurus suspirando laboris metu revertendo conspexerat, quid in libro scriberetur prohibito, desideranter prospiciebat. Et in loco per signaculum signato recenter certos canones perlegit,

et mox coetus spirituum innumerabilium comparentium et dicentium: Domine, quid iubes? proclamaverat. Ipse autem, qui hos et alios spiritus apud magistrum suum videre consueverat, non abhorruit, sed, ut illico a pede montis istius usque ad latus alterius partis iter recto distento diametro planum, largum et latum ad mediam lentam (leucam?) perdurans et ultra, ut ambulare possit sine terroris impedimento, per saxeum montem concavarent, demandavit: quod illico factum est, prout his apparet diebus, et tam velociter quidem, quod eosdem spiritus ipse taliter laborantes sequebatur, et citius solito ad magistrum suum revertebatur. Unde dum miraretur Virgilius de tam subita nuntii reversione, rem gestam per ipsum secundum ordinem narratam perquirendo percepit. Igitur ad nutum Octaviani hoc iter submontaneum illaesum in dies hodiernos permansit, prout ego Felix dictum palatium, thermas et aestivarium sive sudarium et montis concavitatem personaliter videndo perlustravi. — Item legitur, dictum Virgilium in porta Neapolis fecisse *muscam* aeneam, quae omnes alias muscas ab urbe repellebat. — Item in eadem urbe dicitur *macellum taliter* construxisse, ut ibidem carnes non possent putrescere. — Item quendam *hortum* legimus Virgilium ibidem plantasse, qui per pluviam minime tactus nihilominus instructibus tanquam paradisus floruit fertilissime. — Item ibidem est *castrum* fortissimum prope civitatem in maris profundo dictum, *castrum Ovi*, taliter firmatum: nam in suo medio est quaedam *pila aenea rotunda tanquam ovum* super columnas quatuor eleganter et multum artificialiter per Virgilium quondam erecta, in se continens spiritum: quod ovum, si quovis modo rumperetur, castrum mox in abyssum maris mergeretur. Unde his diebus ovum huiusmodi praemissorum occasione diligentissima custodia munitur. Unde horum et aliorum meritorum intuitu Augustinus lib. VII de civitate dei Virgilium nominat virum gloriosum."

Fieri non potuit, quin in hac mythorum Virgilianorum ubertate, qui subito proventu undique pullulabant, praesertim cum superstitiosa aevi indoles ad magicas res valde inclinaret, tandem maior earum pars, scilicet ea, quae lepida ac poetica forma erotica praesertim contineret, in unum quasi corpus coalesceret, sed subditiciis et a vero Virgilio prorsus alienis fabulis accedentibus. Ita ille *popularis liber* de „Magistro Virgilio"*) prodiit fortasse Gallici autoris, incerto anno, vix, id quod Goerres l. l. coniecit, iam ante sec. XII, sed potius post annum 1442, quod Hispanorum sub Alphonso V in Neapolin dominationis in eo mentio fit.

Sufficiant haec de antiquissimis Virgilianorum mythorum fontibus praemissa. Iam opus est, ut integram omnium seriem temporis locique ratione habita proponam atque ubi fieri poterit, obscuriora explicem. Cum vero ex iis, quae supra dicta sunt, appareat, Neapolin quasi centrum eorum fuisse, inde vero etiam Romam Mantuamque aliquam illius gloriae partem sibi vindicasse, aptum erit, ut hoc ipso ordine fabulae pertractentur.

A. Neapolitana.

I. Virgilius fundamenta urbis locat et, tanquam palladium, magicam ampullam vitream moenibus includit.

Scriptores seculi XII testantur, urbem Neapolin olim paene inexsuperabilem habitam esse. Ita *Alexander Telesinus* (c. 1135) affirmat, hanc civitatem, mirabile dictu, post Roma-

*) Cf. Simrock deutsche Volksbücher: „Vom Meister Virgilius" No. XXVII. Permultae eius translationes in fere omnes recentiores linguas, adeo islandicam (1676 in MSC. Havniae), prodierunt.

norum imperium vix unquam a quoquam ferro subdi potuisse", cuius rei meritum antiquitus Aeneae, prisco illi Virgiliano heroi, quippe qui moenia urbis quam maxime firma condidisset, posthac Virgilio ipsi deberi putabant. Profecto etiam tum annis 1134—7 ea urbs a Sergio militum magistro fortiter defensa regis Rogerii impetum terra marique victrix repulerat. *Conradus*, qui ampullae mentionem facit, non sine quadam superbiente ironia de hac re scribit, quippe quod per sui principis milites illud urbis palladium tandem fractum sit et addit, Virgilii imaginem in illa ampulla inclusam fuisse, cum alii de ovo fabulentur. *Villanius* vero cap. 31 rem ita tradit: „Tempore Virgilii castellum exstructum erat in rupe prope littus, quod Maris Castellum hodieque appellatur. Cum Virgilius illic libenter commoraretur, ovum magica arte praeditum, quod gallina primum edidisset, per angustum lagenae collum vi adegit eamque ferreo canistro *(gagia)* imposuit accuratissime confecto; hoc canistrum laminis ferreis sub ima transtri parte figi et cellae cuiusdam parieti apponi iussit, qui in hunc finem diligentissime exstructus erat. Magna vero ceremonia et attentione illud opus arcano et tuto loco ferreis portis occluso custodiebatur. Namque in illo ovo, quod posthac castello nomen dedit*), sors castelli ipsius omnino vertebatur et nostri maiores credebant, hoc castellum inviolatum mansurum esse, quoad illud ovum servaretur." Haec Villanius. Facile est intellectu, plurima in hac relatione additamenta esse e vulgi fictione tum orta, cum primaria mirabilis illius ovi significatio oblivione obruta esset. Si vero nulla Virgilii ratione habita hoc ut certum credere licet, quondam in ea urbe palladii instar solenni loco ovum suspensum fuisse, operae pretium erit disquirere, quaenam notio huic symbolo attributa fuerit et comparare quae nuper**) de hac re sollerter patefacta sunt. Sic in templo Leucippidum (Pausan. 3, 16, 2.) Lacedaemone ovum sacrum taeniis vinctum dependisse dicitur, sicut hodieque in sacris Turcarum aedibus struthionum ova suspensa caerimoniae inserviunt. Etiam Ciceronis locus de divin. 2, 65 huc pertinere videtur: „Defert ad coniectorem quidam, somniasse se, ovum pendere ex fascia lecti" etc. Cum vero *Conradus*, ut supra legitur, omnino Neapolin operosum Virgilii *opus* appellare non dubitaverit, etiam ea superlatio non mirabilis est, totam urbem a nostro in ovo suspensam vel super ovo conditam esse, quod olim creditum esse plures loci testantur.***) Credebant igitur modo totius urbis fundamento subterraneum illud ovum inserviisse et hinc castello nomen ortum, modo in illo ovo daemonem quendam magica vi inclusum esse. Turris vero castelli ita exstructa esse credebatur, ut, si forte ovum aliqua de causa moveretur, etiam ipsa urbs quasi terrae motu concuteretur, quae opinio in illa civitate per plura secula valuisse videtur,

---

*) Villanii „castellum vicinum" a Gervasio accuratius „castellum maris" appellatur, quod non cum hodierno „Castell' a Mare" confundendum, sed aliud esse, Castellum „d'Uovo", docet Massmann l. l. p. 442.

**) Cf. Bachofen Versuch über die Gräbersymbolik der Alten. Basel 1859, pag. 1—297 „die drei Mysterieneier."

***) Cf. Lassberg's Liedersaal 3, 562: „Nâpels daz versunke, briht ein ei, dar ûf ez stât." Etiam in carmine gallico seculi XIII (Image du Monde) inter alia Virgilii miracula hoc quoque praedicatur, illum ovum creasse, „sur lequel était bâtie une très grande ville, qui croulait toute entière, lorsqu'on remuoit l'oeuf, mais qui, l'instant d'après se retablissait d'elle même." Cf. Liebrecht Gerv. p. 106, qui huic re comparat, quod olim de Pharo Alexandrina fabulati sunt, eam quatuor vitreis cancris in mari fundatam esse.

cum ex statutis ordinis Sti Spiritus, anno 1352 fundati, in eo ipso ab ovo denominato castello prope Virgilii cryptam quotannis conventus canonicorum haberetur.*) De sensu obscurae inscriptionis, quam ex illo castello de Rossi in lucem protulit et quae manifesto ad illam superstitionem pertinet:

Ovo mira novo sic ovo non tuber ovo
Dorica castra cluens tutor temerare timeto,

videant interpretes inscriptionum. In illo vero castello, quod Virgilii ossa continuisse videtur et de quo infra iterum dicendum erit, Romulus quoque Augustulus, ultimus ille Caesarum Romanorum antiqui temporis, in vincula coniectus obiisse dicitur. Caeterum etiam hodie mystica quaedam ampulla tamquam Neapolis Palladium a superstitiosa plebe adoratur, scilicet Sti Ianuarii cruore repleta, qui varia ratione in pagani illius patroni locum successisse videtur.

II. Virgilius portae Nolanae duo capitum effigies Pario marmore clipei forma confectas imponit, intraturo vel fausta vel adversa augurantes.

Rem ipsam fusius descriptam supra apud *Gervasium* (cf. p. 8) legimus. *Villanius*, qui fere idem refert, cap. 30 addit, hoc opus mirabili planetarum effectu comparatum esse et alterum caput muliebre fuisse accuratius docet. Ut hodieque interdum in vetustis aedificiis diversis de causis capitum effigies parietibus insertas conspicere possis, ita etiam de antiquo tempore similia reperias. Ita Valerius Maximus (5, 6, 3) capitis effigiem aeream portae Raudusculanae urbis Romae inclusam fuisse narrat. Aptum est cum hac re componere, quod Villanius cap. 27 narrat, eundem Virgilium Neapoli quatuor mortuorum capita alicubi constituisse, quae vera responsa darent interrogantibus de re qualibet in quatuor orbis regionibus gesta, ita ut omnia Neapolitanorum duci patefierent. Magnam vero huic fabellae cum illa Romana de „Salvatione Romae", quam iam supra attigi et de qua infra plenius dicendum erit, similitudinem intercedere, nemo non videt. Caeterum hoc νεκρομαντείας genus etiam alibi commemorari et inter alios a Gautier de Metz (1245) narrari, caput eiusdem magicae indolis a Virgilio apparatum esse, monet Rothius l. l. censens, omnes has fictiones fortasse a *Gerberto*, celeberrimo illo magiae immerito insimulato papa Sylvestre ad Virgilium translatum esse.

III. Virgilius macellum sic construit, ut nunquam in eo caro putrescat.

Gervasius, *Neccam*, *Helinandus* in eadem re congruunt, *Conradus* vero miraculo imminuto ait: „per sex hebdomades recens maneat, si exportetur, foeteat." Etiam *Villanius* cap. 22 haec narrat: „Quia urbs Austri molesto ardori exposita est, quo caro facile vitium capit, Virgilius aliquot frustula carnis varii generis arte magica usus in arcu quodam („*de la Buzaria*") fori veteris, in quo iam dudum carnes venibant, suspendit. Quo factum est, ut caro, quae forte emtorem non reperisset, per complures hebdomades conservari posset, nulla putredine accedente, salsa vero per tres annos et amplius", quam relationem haud ita mirabilem iam Neccamus adeo auget, ut contendat, carnem illic post quingentos annos recentissimam repertam esse.

---

*) Cf. Montfaucon diar. Ital. II, 329.

IV. Virgilius muscam aeneam conficit, quae omnes muscas ex urbe expellat.

Praeter *Conradum, Helinandum, Gervasium* etiam Iohannes Saresberiensis in Polycrat. (I, 4) eandem rem his verbis exponit: „Fertur vates Mantuanus interrogasse Marcellum, cum depopulationi avium vehementius operam daret, an avem mallet instrui in capturam avium, an muscam conformari in exterminationem muscarum. Cum vero quaestionem ad avunculum retulisset Augustum, consilio eius praeelegit, ut fieret musca, quae ab Neapoli muscas abiiceret et civitatem a peste insanabili liberaret. Optio quidem impleta est, unde liquet privatae voluntati praeferendam esse multorum utilitatem." Etiam in carmine quodam anno 1180 contra ecclesiasticos iuxta visionem Apocalypsis scripto v. 46 legitur: „Formantem video aereas muscas Virgilium." *Villanius* Gervasium et Neccamum ut testes provocans fere idem refert c. 18: „Illo tempore in regione Neapolitana propter magnam aëris per paludes corruptionem ingens muscarum copia exorta luem excitare minabatur. Iam Virgilius magno huius urbis eiusque incolarum amore inflammatus artis magicae auxilio muscam auream ranae magnitudine sub fausta siderum coniunctione cudendam curavit, cuius vi omnes muscae ex urbe subito evolarent. Postea illa e castello Capuano (hodie: *Vicaria*), ubi primo fuerat, ad Castellum Cicadae translata subito omnem vim amisit. Apud nonnullos illa musca ut viva describitur, ceteras persequens et interficiens. Caeterum cum notum sit, veteres similia etiam de aliis magicae famae hominibus fabulatos esse, ut de *Apollonio Tyanensi* (hic Constantinopoli fere easdem partes egisse videtur, quas Virgilius Neapoli), qui inter alia *τελέσματα* in pluribus oppidis comparata, etiam serpentes, pulices (quos Virgilius proh dolor praetermisisse videtur), muscas, scorpiones aliasve bestiolas imaginibus earum ex metallo cusis expulisset, inter hoc commune talium hominum odium et illum Philistaeorum muscarum quendam deum *(Beelzebub)* atque Graecorum Iovem *ἀπόμυιον* interiorem nexum statuere licet. Iam Plinius h. nat. 10, 41 (29) exemplum expulsionis muscarum divino numine effectae proponit narrans, Romae in aedem Herculis in foro boario nec muscas nec carnes intrasse, et Solinus paraphr. 1, 2 annotat: „Etenim Hercules, cum viscerationem sacricolis daret, Myiagrum deum dicitur imprecatus, clavam vero in aditu reliquisse, cuius olfactu refugerent muscae et canes: id usque nunc durat". Idem Plinius 21, 46 (14) refert, montem esse Carinam in Creta insula, IX millium passuum ambitu, intra quod spatium muscae non reperiantur natumque ibi mel nunquam attingant. Simili modo in Hibernia St. Columba e quadam regione omnes mures ac vermes sacro nimirum cantico expulisse dicitur, et item omnes serpentes St. Patricius, ut ex opinione incolarum adeo humus illic salutarem vim contra anguium morsum nancisceretur et, si cuiusdam manus morsu violata esset, hic statim digitum in terram demittere soleret. *Gregorius Turonensis* (hist. Franc. 8, 33) narrat, Lutetiam Parisiorum ante suam aetatem incendiis, serpentibus, muribus liberam fuisse et addit: „Nuper autem cum cuniculus pontis emundaretur, et coenum, quo repletum fuerat, auferretur, serpentem gliremque aereum repererunt, quibus ablatis et glires ibi deinceps extra numerum et serpentes apparuerunt." Ita his exemplis comprobatur, metallicis imaginibus arcentem quodam modo potentiam contra ea animalia attributam esse, quae illis repraesentarentur et in ea re, id quod mireris, non nobilia metalla sed fere vulgaria adhiberi solita esse, quam ob rem versimile est, illis supra

citatis locis Neccami et Villanii, in quibus de „*aurea*" sanguisuga vel musca sermo est, scriptionis corruptelam inhaerere. Praesertim chalybi separativa quaedam vis olim adscribebatur, quare nefas habebatur et hodieque a nonnullis habetur, si amici vel consanguinei sibi invicem cultros vel ferreas fibulas dono dant. Etiam in nuptiarum simulatione, qualis interdum in principum matrimoniis per legatos fieri solebat, gladius vagina vacuus sponsae ac sponsi vicario interponebatur.

V. Virgilius omnes cicadas, hirudines et serpentes e Neapolis regione magica arte expellit.

Apparet, etiam his miraculis, quae vario modo a singulis scriptoribus referuntur, illud commune esse, quod Neapolitani celebri suo populari insignem humanitatem attribuere voluerint.

De *cicada* solus *Villanius* c. 21 scribit: „Ille celeberrimus poeta etiam cicadam sive arbutorum cantatricem arte nigromantica incantatam confici iussit eamque catella arbori alligavit. Huius cicadae vi omnes ceterae urbem relinquere cogebantur, cum antea stridendo cives adeo molestassent, ut per noctem neque quiescere neque dormire possent. Quod beneficium hodieque valet." Cum his comparare licet, quae apud Hesychium leguntur de amuleto quodam, *καταχήνη*, quod contra frumenti fascinationem *(βασκανία)* Pisistratus cicadae vel locustae forma constructum Athenis in Acropoli constituerat.

De *hirudine Villanius* c. 19 cum *Alexandro Neccamo* maximam partem consentit: „Sub certa constellatione Virgilius sanguisugam auream arte magica fecit et in ima putei albi *(Pozzo bianco)* parte deposuit, cuius vi ac potentia omnes hirudines, usque ad illud tempus abundantes, depellebantur. Neque tacebimus, id quod sinceram de Virgilii magia aestimationem testatur, illud beneficium gratia dei, sine qua nihil perfici potest, et mansisse et mansurum esse in aeternum, cum e contrario Neccam referat, aliquando in pluteo purgando hirudine aerea forte extracta repente ingentem illarum bestiolarum copiam rursus in civitatem irrupisse, donec illud *τέλεσμα* iterum in puteum demitteretur.".

De *serpentibus* vero haec, cum *Conrado* et *Gervasio*, *Villanius* c. 28 habet: „Porro Neapoli in porta Nolana, quae nunc porta de furcula *(de forcella)* appellatur, est via lapidea artificiose et magno labore strata. In hac via est sigillum, sub quo Virgilius non sine magna opera omne genus serpentum aliorumque nocuorum vermium inclusit ac delevit, id quod deus optimus maximus pro sua clementia usque ad hunc diem valere patitur, ut et in cloacis et in subterraneis fossis nunquam serpentes reperiantur, ne eorum cadavera quidem, nisi forte cum foeno importata sint." Cui historiae mire hoc addit, poetam tum temporis in usum agricolarum Georgica composuisse. *Conradus* scribit, istam solam portam a suis militibus non destructam esse, quod timuissent, ne serpentes regionem iterum molestarent. Cum hac re quodammodo cohaerere videtur, quod supra e *Neccami* opere „de vulgari serpente" excerpsi, ubi de origine illius carminis sermo est, quod sub „*Culicis*" nomine Virgilii carminibus adiungi solet, quamvis de genuina eius indole sub iudice lis sit. Cum vero fere nulla in eius operibus vestigia illorum mythorum reperiri possint, certe concedendum est, in hac historiola, quae poematis argumentum ad ipsius poetae vitam transtulit, saltem illum serpentum horrorem a poeta ad magum facile transponi potuisse nec mirabimur inter alias molestas bestias eum *culicibus* necessario pepercisse, quippe quorum utili ministerio vitam servavisset. Caeterum arcana quaedam ars serpentes incantandi omni tempore et inter

omnes gentes, praesertim ab Indicis praestigiatoribus, exercita est. Iam in scriptura sacra aliquoties (Psalm. 58, 5. 6. Ierem. 8, 17 et alibi) de hac re sermo est. Etiam apud Lucianum Philops. 12 Chaldaeus quidam et naturali et magica ratione omnia reptilia e domus receptaculis elicit, unum serpentem aetate provectum per iuniorem alterum arcessit ac postremo omnes sufflando in cineres commutat.

VI. Virgilius Neapolitanorum piscatum magico pisce expedit.

Quantopere in illa urbe iam ante Thomae Anielli tempora res piscatoria a civibus quaestus faciendi gratia exercita sit, non est quod latius exponam. Itaque fieri non potuit, quin etiam hac de re mythus Virgilianus excogitaretur. *Villanius* in cap. 25 haec tradit: „Cum piscatus civitatis, quippe quam et divitiis et gloria accrescere valde optaret, non satis proficeret, propter minorem maris altitudinem in illis litoribus poeta, ut lucrum maritimum augeret civiumque commodo prodesset, lapidem apparavit et pisciculi imagine ei insculpta in illo loco deponi iussit, qui hodieque saxum lapideum *(la petra de lo pesce)* appellatur. Quamdiu vero hic lapis ibi permanebat, nunquam magnis parvisve piscibus cives carebant.“ Cum hoc piscationis adiumento aliud comparari potest, quod certe abhinc duobus seculis a Messanensibus piscatoribus magico quodam apparatu a maioribus tradito adhibitum esse plures referunt.*) Illi inprimis xiphian seu gladium *(pesce spada)*, cuius venatione mirifice delectarentur, hoc modo allexisse dicuntur. Mense Maio, quo ille piscis frequens est in litore Siculo, sed admodum pavidus et capturae effugiens, condicta die summo mane cymbis certi generis et fuscina instructi fretum Siculum *(il Faro)* ingrediebantur. Loco destinato unus piscatorum, inter ceteros peritior et robustior, tridente per funem longissimum ad brachium alligato armatus, proram cymbae occupabat, alter verbis quibusdam singularibus et ad incantationem idoneis piscem alicubi latentem invitabat. Mox xiphias cantilena nimirum delectatus e latebris suis prorumpens ac praesentem se sistens, non multum infra summum mare immobilis haerebat, donec fuscina transverberabatur.

VII. Virgilius per equum aereum vernaculum equorum Neapolitanorum morbum sanat.

Iam e *Conradi* relatione eadem res supra p. 5 proposita est, qua docemur, peculiarem quandam imbecillitatem effecisse, ut nullus tum equus sine dorsi fractura equitem aliquamdiu vehere posset. Caeteris mythographis hac de re tacentibus *Villanius* cap. 20 rem accuratius describit: „Idem equum metallicum sub quadam siderum coniunctione cudendum curavit, cuius iam adspectus illi infirmitati mederetur. Cum vero urbis veterinarii Virgilio irascerentur, quod nullum amplius lucrum ex equis sanandis ipsis redundaret, nocte quondam illius equi alveum perforaverunt. Cum vero exinde magicum illum equum pristina vis deficeret, eius massae pars posthac ad maximae ecclesiae campanas fundendas adhibita est. Anno 1322 ille equus in area, quae ecclesiam cingit, repositus est atque credunt, campum Capuanum *(la Piazza de Capuana)* insigne suum ab eo nactum esse, nimirum equum auri colore superfusum nullo freno iniecto. Quamobrem serenissimus princeps Carolus I, urbem ingrediens illiusque campi signum admiratus ac fortasse offensus, hos versus insculpi iussit:

---

*) Cf. G. Schott Magia universalis II, 213.

Hactenus effrenis, nunc freni portat habenas.
Rex domat hunc *aequus* Parthenopensis *equum.*"

Adde, quae alius auctor nostri seculi*) in Italia commoratus de eadem re se comperisse affirmat, credulorum hominum turbas olim circa istum equum saepe tantas fuisse circumfusas, ut archiepiscopus quidam illum equum in turris commutatione aliquando suscepta quasi fortuito laedi et postea recoqui iuberet; antea vero praesertim per totam Sti Antonii sacram hebdomadem ingentes plerumque angustias illic exortas esse, quippe quod omnium nobilium principumque equi circumducerentur, id quod etiam nunc prope aedem Sti Antonii fieri soleat. Simulacrum vero collocatum fuisse ante minorem cathedralis aedis portam, ubi hodie Sti Ianuarii statua exstructa sit. Huic moris antiqui descriptioni addere liceat de eius origine coniecturam. Haud dubie illi vetusto operi significatio ad priscum deorum cultum pertinens inerat et postero demum tempore effrenis equus tanquam symbolum liberae urbis aestimabatur, unde pro insigni ipsius urbis, ut hodie terrae Brunsvicensis, constitutus est, et haud dubie in eius rei memoriam Neapoli nummus anno 1460 Ferdinando I regnante percussus est, qui ab altera parte equum effrenem, ab altera inscriptionem habet: „Equitas regni ostendit." Idem auctor commemorat, caput illius equi, quod solum superfuisset, cuidam viro nobili, Caraffae nomine, donatum et in eius impluvio depositum esse: mox vero rumorem exortum esse, quasi sub eo ingentes thesauri defossi essent et complures periculum fecisse eos tollendi, ita ut ad extremum illud capitis simulacrum e Caraffae palatio in regium Museum *(Museo Borbonico)* transferretur, ubi *hodieque* cerni possit. Ipsa vero fabula posthac admodum immutata reperitur: sic in illo populari libro, Virgilii mirabilia continente, de quo supra p. 17 dixi, sermo est de equo aheneo, cui aheneus eques insidet, qui noctu urbis plateas quasi accensi vel inquisitoris officio fungens perequitat et fures obvios castigat. Si vero ab hac digressione ad prima fabulae initia redeundum est, fieri non potest, quin illius historiolae mentionem faciam, quae a *Donato* in Virgilii vita traditur, poetam Romam e Graecia reversum et medicinam mathematicamque edoctum statim magistri equorum stabuli Augusti amicitiam nactum multos variosque equis incidentes morbos curavisse. Praeterea Aeneidos locus (I, 444), ubi de capitis acris equi signo a Poenis prope Carthaginem effosso, quasi bellicae gloriae portento, sermo est, fabulae originis leve certe vestigium praebet.

VIII. Virgilius ludorum quoddam genus apud Neapolitanos inducit.

Villanius, qui solus cap. 27 de ea institutione retulit, haec habet: „Ingeniosus poeta sanxit, ut quotannis ludus carbonarius *(lo Ioco ad carbonara)* i. e. in platea Carbonara haberetur, sed non ita, ut in eo homines necarentur, sed solummodo ad armorum exercitationem. Victoribus vero praemia destinavit. Qui ludus vel iocus, ut ait, ita processisse videtur, ut cives sine ira et studio sibi invicem citrea, lapillos, fustes, proiicerent vel eminus iactando destinatam metam assequi studerent. Qui cum ab initio omnis periculi expers fuisset, praesertim quod cives capita galeis ferreis vel corio consertis defenderent, posthac inde ab anno 1380, ut Villanius addit, arma admittebantur, qua re haud raro

*) Cf. von der Hagen Briefe in die Heimath III, 189.

caedes fiebant. Apparet hanc ludi cuiusdam institutionem ex opinione illius aetatis Virgilio eam tantum ob causam attributam esse, ut in numero rerum popularium et ad civium vel salutem vel oblectationem pertinentium, ut ita ex proverbio dicam, cum pane etiam Circenses adessent. Constat enim ludos gymnicos iam apud veteres Italos usitatos et longa annorum serie repetitos esse. Priscum vero illius carbonarii ludi quasi exemplum Strabonis locus (V, 4), de Neapolitanis narrantis, praebere videtur: „*Νυνὶ δὲ* (scil. Augusti aetate) *πεντετηρικὸς ἀγὼν συντελεῖται παρ' αὐτοῖς, μουσικός τε καὶ γυμνικὸς ἐπὶ πλείους ἡμέρας, ἐνάμιλλος τοῖς ἐπιφανεστάτοις τῶν κατὰ τὴν Ἑλλάδα.*“

IX. Virgilius turrim mobilem aedificat.

Haec fabula solummodo ab *Helinando*, quem *Vincentius* in speculo suo exscripsit, tradita est. Neapoli Virgilius turrim, in cuius fastigio campanae suspensae erant, ita exstruendam curaverat, ut eodem tempore, quo illae iactarentur, turris ictibus percussa vibraret, cuius rei consilium quoddam iure desideratur, cum poeta ceteris illis miraculis fere omnibus aliquo modo civium saluti inservire voluisse fingatur, atque hac ipsa re omnibus ceteris incantatoribus, suam ipsorum modo gloriam vel voluptatem quaerentibus, antecellat. Caeterum bonus ille *Vincentius* rei veritatem ob eam unam causam addubitat, quod Virgilii aetate campanarum usus nondum innotuerit, quod quidem ei concedendum est, cum Gregorius Turonensis (c. 580) primus campanarum mentionem fecisse videatur. Aliam vero historiolam, in qua campanae vel potius tintinnabula mirabilem ad usum adhibitae esse dicuntur, infra in recensendis Romanis de Virgilio fabulis proponam.

X. Virgilius hortum aedificat miraculis plenum et statuam Favonii ardores prohibentem.

Fere omnes scriptores, qui huc pertinent, de illo horto aliquid narravere. *Conradus* hortum quidem ipsum non commemorat, statuam vero sagittiferi hominis, quae contra Vesuvii ignes a Virgilio opposita esset, describens, etiam illum hortum intrasse videtur; *Gervasius* affirmat, illum hortum sub radicibus montis Virginum situm multisque herbarum generibus, inter alia herba Lucii consitum fuisse, et in eo statuam tubicinis collocatam, quae „vi mathesis“ ardentes et Noti et montis ignivomi halitus repelleret, cum *Neccam* re iam variata referat, vatem hortum suum aëre vicem muri obtinente munivisse et ponte aërio cum vicinia coniunxisse, *Aliprandus* vero Mantuanus adeo de navi quadam aëria fabuletur, denique *Helinandus* de horto nihil aliud compererit, quam quod in eo nunquam pluisset. *Villanius* vero cap. 24 ita: „Maximus et praestantissimus omnium poetarum etiam valetudini civium prospecturus erat salutaribus illis herbis arcessendis, quae ad medicorum potiones sucosque necessariae quidem sed remotissimis terris hic illic provenientes maxime calido anni tempore apud Italos rarius vel plane non inveniuntur. Quam ob rem sub *monte Virginis* supra vicum *Avellinum* et *Mercholianum* mirabilem hortum salubribus herbis consitum plantavit: quem qui intrare vellent, ut pro aegrotis herbas decerperent, facile viam repererunt, qui autem herbas evellere vellent, ut horti solum ad alienos usus pala foderent, eo profecturi nullo modo hortum usquam conspiciebant ac ne tramitem quidem inveniebant, qui illuc duceret. Etiam nostro tempore ibi salutares et validae herbae larga copia proveniunt.“

Iam singula diligentius inspiciamus. De illo monte Virginis *(Monte Vergine)* Hagenius

supra laudatus, a Villanio discedens, refert, eum eodem loco fuisse, ubi nunc „*Poggio Reale*" et muri diruti palatii vetustate collapsi supersint, quod olim misera illa regina Iohanna († 1381) inhabitaverit, et addit, hunc montem secundum vulgarem opinionem e Virgilio nomen adeptum esse: illic hodie esse aedem sacram Divinae Virginis, cum ingenti eius simulacro, quod extemplo, si quis aedem cum carne vel adipe intraverit, terribilem tonitruum tempestatem concitet. Addo quod Rothius l. l. p. 266 ex vetere manuscripto seculi XIII Bollandi Actis Sanctorum inserto hausit: „Nuncupatur mons Virgilianus a quibusdam operibus et *maleficiis* Virgilii Mantuani. Construxerat enim hic *maleficus daemonum cultor* eorum ope hortulum quendam omni genere herbarum cunctis diebus et temporibus, maxime vero aestatis, pollentem, quarum virtutes *in foliis scriptas* reliquit. Monachi quidam, nostra fide digni fratres, qui praedictum montem inhabitavere, apertis vocibus testantur, saepe casu in praedictum montem ascendentes se non semel, dum per iuga montis solatii causa errarent, nihilominus intra hortum huius modi sic maleficio affectos esse, ut se nec herbas tangere valuisse, nec qua via inde regressi sint, cognovisse retulerint." Ille mons in iugo Taburno *(Rocca Rainola)* praeminens hodieque peregrinatione sacra a Neapolitanis saepe visitatur.

Sane mirum fuisset et insolitum, si comminiscendi luxuria, quae illos mythos fingebat, inter alia opera, magis plerumque communia, etiam hortum incantationibus et bonorum malorumve daemonum ope exornatum ceteris illis miraculis non addidisset. Etenim hortos mirabiles in hominum magicorum propinquo saepe offendimus. Nolo de Calypsus et Circes hortis, vel de Armidae illo celebratissimo, quae nota sunt repetere. Etiam de *Alberto Magno*, qui apud nostrates magiae fama ante Faustium maxime floruit, similia circumferebantur, sed ea magis prodigiosae quam salutaris indolis. Qui, cum anno 1248 solemni Epiphaniae die rex Guilielmus Coloniam Agrippinam venisset, hunc in hortum suum prope monasterium praedicatorum invitasse dicitur et, quamvis forte acerrimum frigus incidisset et magna nivium moles omnia contexisset, tamen rex cum satellitibus suis aulicis mirae isti invitationi obsecutus est et, postquam assederunt et dapes appositae sunt, subito omnia virescere, coelum serenari et sol aestivus suaviter splendere incepit, donec, convivio finito, extemplo omnia rursus in priorem hiemalem conditionem conversa sunt.

Opinio, tempestatis vim arcana quadam arte frangi vel averti posse, iam apud veteres reperitur. Seneca in quaest. natur. IV, 7 carminibus nubes ac ventos depelli posse negat, quamvis multi hoc credant. Idem Empedocles secundum Diogenem Laërtium se docturum esse promisit. Praeterea Cleonaei χαλαζοφύλακες, Iustini Martyris νεφελοδιῶκται, ars excantandi fruges in XII tabulis commemorata, multa alia, quae Paully in Lexico sub v. Magia profert, huc pertinent. Superstitiosa vero *statuae* fictio, quam Virgilius in illo horto aut secundum alios remotius ab urbe e regione Vesuvii in colle quodam *(Somma?)* erexisse dicebatur, ut cineres et ardores inde usque ad ipsam urbem penetrantes arceret atque ita et civium valetudini et frugum incremento simul prospiceret, etiam in *Villanii* Chronico c. 23 paucis mutatis repetitur: „Favonius arbustis perniciosissimus ventus ineunte mense Aprili flare incipit et herbas, flores tenerosque arborum fructus facile corrumpit. Quare magnus vates aheneam imaginem confecit, fausta astrorum coniunctione, quae buccinam

ad os teneret et cuius inflatu, quoties iste ventus subintrabat, subito retroverti coactus est, ut arbores et fructus sine damno crescerent et plene maturescerent." *Conradus* loco tubicinis de sagittifero se audisse narrat, qui balistam tensam teneret sagitta nervo applicata, idque diu permansisse, donec inepta rustici cuiusdam temeritate vel curiositate totum artificium destrueretur et pristinam vim amitteret. Forsitan huic fabellae primum locum dederit, quod Servius narrat, Virgilium ex Asiatico bello Neapolin reversum valetudinem ex *solis ardore* contraxisse et frigidiora loca appetentem Brundusium se contulisse. Etenim operae pretium esse videbatur fabulam comminisci, ex qua illos letiferos ardores a Neapolis litore benevolus magus in perpetuum removisset.

Cum hac fabula aliam simillimam conferre licet, quae ad Aetnae quidem montis regionem attinet et in fragmento *Olympiodori* Thebani apud Photium*) his verbis narratur: *„Ὅτι τὸ Ῥήγιον μητρόπολίς ἐστι τῆς Βρεττίας, ἐξ οὗ φησὶν ὁ ἱστορικὸς Ἀλάριχον ἐπὶ Σικελίαν βουλόμενον περαιωθῆναι ἐπισχεθῆναι· ἄγαλμα γάρ φησι τετελεσμένον ἱστάμενον ἐκώλυσε τὴν περαίωσιν· τετέλεστο δὲ, ὡς μυθολογεῖ, παρὰ τῶν ἀρχαίων ἀποτρόπαιόν τε τοῦ ἀπὸ τῆς Αἴτνης πυρὸς καὶ πρὸς κώλυσιν παρόδου διὰ θαλάσσης βαρβάρων· ἐν γὰρ τῷ ἑνὶ ποδὶ πῦρ ἀκοίμητον ἐτύγχανε καὶ ἐν τῷ ἑτέρῳ ὕδωρ ἀδιάφθορον, οὗ καταλυθέντος ὕστερον ἔκ τε τοῦ Αἰτναίου πυρὸς καὶ ἐκ τῶν βαρβάρων βλάβας ἡ Σικελία ἐδέξατο. Κατέστρεφε δὲ τὸ ἄγαλμα Ἀσκληπιός, ὁ τῶν ἐν Σικελίᾳ κτημάτων Κωνσταντίου καὶ Πλακιδίας διοικητὴς καταστάς."* Eandem rem de Catania urbe Sicula reperimus**): „Praesens statua elementum (= *στοιχεῖον*, quod Byzantinis i. q. *ἀποτρόπαιον*) aëris est, ne quando prorumpens Aetnae flamma urbem accendat." Quum vero Empedocles ille, qui in patria urbe Agrigenti vixit et cuius domus sub montem Aetnam hodieque nomine: *„casa del filosofo"* ab incolis credulo viatori monstrari solet, magicarum artium gnarus a veteribus haberetur et aenea philosophi statua primum Agrigenti collocata, tum Romam transportata fuisset, coniicere licet, illam Virgilianam fabulam nec minus illam Olympiodori ab Empedocle et rumoribus de eo circumlatis derivandam esse. Tubae additamentum etiam aliae fabulae praebent. Ita Liebrecht l. l. ex Herberstainii rerum Moscoviticarum commentariis (Basileae 1551) haec excerpsit: „*Slata baba* i. e. aurea anus idolum est ad Obi ostia. Fabulantur hoc idolum statuam esse in formam cuiusdam anus, quae filiam in gremio teneat. Praeterea instrumenta quaedam ibi posuisse, quae perpetuum sonum in modum tubarum ederent."***) Adhuc nostro tempore prope Neapolin in litore maris e regione Vesuvii statuam Sti *Ianuarii* collocatam esse referunt viatores illuc profecti, quam dextra versus Vesuvium montem sublata omnes eius impetus ab urbe defendere posse incolae credant.

---

*) Cf. Liebrecht l. l. p. 106. Photius bibl. ed. Becker p. 58.

**) Cf. Acta Sanctor. Bolland. Febr. 3, p. 225, et Roth l. l. p. 292.

***) Kohl (Reisen in Südrussland) I, 292 refert, ex opinione rusticorum in vicinia urbis Saratow Alexandrum daemones Gog et Magog (cf. Apocalyps. 20, 8) Caucaso monti inclusisse et in speluncae ostio duodecim tubas collocasse, quae vento intrante sonarent, quo gentes illorum daemonum deterrerentur.

XI. Virgilius scholam necromanticam instituit.

Notioni, quam homines medii aevi de Virgilio conceperant, etiam hoc conveniebat, quod credebant, eum, Pythagorae, Platonis, aliorum instar, scholam asseclarum instituisse. Etsi vero in illis seculi XII et XIII codicibus de hac re nihil commemoratur et insequentibus demum seculis, cum illae fabulae in unum corpus popularis libri coaluissent, de schola Virgilii necromantica Neapoli aperta et Toletanis maxime magistris exornata passim sermo est, tamen Neapolitanorum ipsorum traditione probatur, quondam tale quid creditum esse. Nam hodieque in vertice montis Pausilypi inter praerupta saxa peregrinis parietinae monstrantur, quibus nomen Virgilii scholae *(Scuola di Virgilio)* datur, quamquam antiquitatis investigatores contendunt, illic quondam Luculli villam exstructam fuisse, de qua vid. interpretes ad Tacit. Annal. VI, 50 et epigramma in Meyer Anthol. lat. II, 882. Etiam Romae artificiosum quoddam aedificium, quod „*Septizonium*“ appellabatur et anno 1588 iussu Sixti V dirutum est, postea schola Virgilii nominabatur.*) Quamvis de huius scholae disciplina, legibus, discipulis nihil traditum sit, quippe quod mysterii natura hoc vetaret, tamen id non praetermittendum est, etiam de *libro* quodam *magico*, ex quo Virgilius artem notoriam**) didicerit, passim apud scriptores poetasque medii aevi sermonem esse. *Villanius* cap. 32 rem ita narrat: „Non est quod miremur, Virgilium tantam scientiam potentiamque habuisse. Etenim ille iuvenis quondam, ut in vetusto chronico legitur, cum uno discipulorum suorum Philomelo, antrum quoddam intravit, quod sub monte Barbaro est. Utrique erat in animo de rebus mirabilibus, quas philosophus quidam Chiron perfecisset, accuratam cognitionem nancisci. Ubi cum Chironis sepulcrum invenissent, Virgilius librum sub magi capite absconditum detraxit, ex quo tum artem magicam plene ac perfecte didicit.“ De hoc monte Barbaro, qui Puteolis ac Baiis ad septentrionem spectat, etiam *Conradus* mirabilia multa imperatori suo scripsit. Magnam vero partem ab his fictionibus diversa sunt, quae supra p. 15 e *Malleoli* opere excerpsi. Plura ac satis mira vid. ap. Massmann. l. l. p. 439. Etiam in illa Germanorum prisca carminum collectione, quae poetarum amatoriorum certamen in arce Comitum Thuringiae peractum describit***), Virgilii eiusque magici cuiusdam libri, sed prorsus alia ratione, mentio fit. Incantator quidam *Zabulon*, Semi-Iudaeus, Babylone librum confecisse credebatur, quo Iesu Messiae descensum in vitam mortalem et pericula per eum Iudaeorum fidei imminentia, quae ex astris se praevidisse simulabat, pro viribus averteret. Hunc libellum Virgilius cum magna equitum caterva magno periculo in monte quodam magnetico *(Agtstein)*, de quo varie fabulabantur mythographi, daemone quodam *Clestrone* †) adiuvante, arripuisse atque ita

---

*) Cf. von der Hagen Briefe, IV, 117, qui refert, delineationem eius in San-Galli collectione (1475) in Barberina bibliotheca asservatam adhuc exstare, cui nomen scholae Virgilii adscriptum sit.

**) Cf. de arte notoria: „Henricus Cornelius Agrippa ab Nettesheym de occulta philosophia. 1510. p. 603.

***) Cf. Simrock Wartburgkrieg p. 195. „Wer gab dir Zabulonis Buch, das Virgilius auf dem Agetstein mit grosser Noth gewann?“ etc. Zabulonis (etiam Savelon, Savilo = Diabolus) nomen saepe reperitur ap. patr. ecclesiast. Cf. Cholevius Gesch. d. deut. Poesie n. ihr. ant. El. I, p. 173.

†) Ille Clestron ab Aristotele in muscae formam redactus in annuli carbunculo arte magica inclusus esse credebatur. Simili modo Petrus Abanus, qui et ipse de magia suspectus erat, sec. XIII a septem

artis arcanae scientia exornatum fidem Christianam valde adiuvisse credebatur.*) Infra sub XIV etiam alius libri Virgilii magiam complectentis mentio facienda erit.

XII. Virgilius balineas prope Puteolos et Baias instituit.

Nimirum etiam in agro Neapolitano extra urbem salutaris poetae efficacia a mythorum inventoribus locum accipere debebat. Ita celeberrimas illas *thermas*, ubi aquae ferventes e solo subterraneis ignibus substructo naturali necessitate profluunt, Virgilii arte excitatas esse fabulabantur. Etiam *Conradus* asseverat, illic imagines cerni vetustate paene consumtas, quae singulos singularum corporis partium morbos demonstrent. Cum vero illae imagines solum ornamenti gratia thermis additae videri possint, ut nostro adhuc tempore interdum ea Christianorum templa, quae propter mirificam sacri cuiusdam simulacri vim a superstitiosis hominibus frequentari solent, talibus membrorum sanatorum imaginibus teterrime ornata sunt, tamen perspicue e Chronico *Villanii* cap. 29 apparet, etiam huic rei magicam interpretationem datam esse, ubi ita legitur: „Egregius vates etiam hoc reputaverat, in Baiano litore prope Cumas fontes calidos esse et cryptas venis varii effectus, sulphure, alumine, ferro, pice, vivo argento interruptas. Quare in communem civium totiusque civitatis salutem multas ac diversas thermas exstrui iussit inprimis *Tritolae* (Tripergola?) quod mille passibus urbe distat, ubi omnia nomina ac virtutes fontium inscripta atque artificiosis picturis designata erant, ut pauperes aegroti, etiam sine auxilio consilioque medicorum sine misericordia mercedem postulantium, morborum remedia in illis balineis invenire possent. Verum enim vero medici Salernitani**) tam iniusti erant et crudeles, ut quondam noctu ad illas balineas nave vecti cunctas illic inscriptiones et picturas ferreis instrumentis abraderent et aedificia ipsa funditus destruerent. Iustitia autem divina eos punivit: nam Salernum redituri terribili tempestate coorta fluctibus prope Minervae promontorium obruebantur, uno excepto, qui casum nuntiaret." Apud *Conradum* et *Malleolum* supra eiusdem rei mentionem reperimus. Constat vero Puteolos, terrae tremore anno 1538, die 29. Sept. prolapsos, opulentum quondam Romanorum oppidum emporio suo florentissimum fuisse ibique in arena Diocletiano imperante *Sct. Ianuarium*, Virgilii in pia Neapolitanorum aestimatione quasi successorem vel aemulum, pro re Christiana vitam anno 305 profudisse.

XIII. Virgilius cryptam per Pausilypum fodiendam curat eaque virtute exornat, ut omnia permeantium prava consilia irrita fiant.

Iam supra *Conradum* legimus per montem Barbarum ductum illam viam subterraneam tanquam ad inferos descensurum intrasse. Qui cum, nulla quidem Virgilii mentione facta, de miris illic palatiis, fluviis ferventis aquae, regum thesauris in montis visceribus absconditis et a daemonibus custoditis fabuletur, *Villanius* cum *Gervasio* simplicius eandem rem

---

daemonibus in vitreas lagenas incarceratis septem liberales artes didicisse et iam Salomo ter mille millia daemonum malorum in ampullis vitreis inclusa prope Babylonem in puteo quodam profundo condidisse ferebatur.

*) Duorum praestigiatorum eiusdem nominis *Klinsor* in scriptis medii aevi saepe celebratorum, ille qui prius vixisse credebatur, in illo libro ut *Virgilii nepos* praedicatur.

**) Schola Salernitana, celeberrima illa aetate, cuius valetudinario inscriptum erat: „Non curatur, qui curat."

attingit, sed peculiari auctoris consilio hoc quoque opus benevolae Virgilii efficaciae attribuit, quippe qui viribus suis ad balineas Baianas compendiosam viam parare voluerit, et addit, illi cryptae mysticam quandam vim infuisse, scilicet eam non latronum impetus, ne inimicorum quidem insidias admisisse. Etiam *Petrarcham* poetam huius rei notitiam habuisse, sed Mantuani auctoritatem addubitasse, ex ipsius testimonio*) apparet, qui regi Roberto († 1343) de hac re interroganti se respondisse profitetur: „Nunquam me legisse memini, marmorarium fuisse Virgilium", quod vero sensu verbi translato aptissime in eum quadrare non est quod demonstrem. Constat illud *Pausilypi* antrum iam apud veteres scriptores passim commemorari et montis perfossionem plerumque Lucullo adscribi. Haud scio an etymon nominis, quod ad moerorem compescendum (*παῦσις τῆς λύπης*) etiam villae Asinii Pollionis post illam Octaviani, quasi antiquae „Sans souci", prope Neapolin sitae, datum est, aliqua ratione illas de antro fictiones posteriores provocaverit. Ut vero inprimis Virgilii nomen huic regioni tetricis fabulis refertissimae inhaereret, ipse effecit notissima illa Aen. VI, 236 descensus ad inferos descriptione in ea loca Averna manifesto translata. Cum vero haec crypta per tofum incisa circiter bis mille pedum longitudine procurrens**) medio aevo nonnisi cum facibus per vastum ac caliginosum spatium collucentibus a viatoribus permeari soleret, sane fieri potuit, ut horribilis indoles toti regioni impressa suspiciosas illas opiniones de hoc antro, quasi daemonum sede, confirmaret et necessitudo eius cum patrio regionis mago fingeretur.***)

XIV. Ossa Virgilii cum libro magico ex eius sepulcro †) levantur.

Iam supra p. 9 e *Gervasii* Otiis historiolam de ossibus poetae ab Anglo quodam medico in lucem prolatis exposui, cum qua paene omnibus partibus *Villanius* cap. 33 congruit, ut utrumque ex eodem fonte hausisse credere liceat. Neapolitanus scriptor ea tantum re discedit, quod refert, medicum quendam, ut Virgilii ingenium quasi sibi infunderet, ossa concoquere et succum inde paratum bibere voluisse. Conradus vero nec de sublevatione ossium nec de libro magico apud illa reperto quicquam habet, sed solummodo de illis sacris ossibus annotat, si libertati aëris exponantur, totius faciem coeli obscurari et mare funditus everti, quod „se ipsum vidisse" testatur. Etiam *Ioannes Saresberiensis* (Polycrat. II, 23

---

*) Cf. Petrarchae Itinerar. Syriac. I, 560, qui illic narrat, se, „quod Virgilii libros legisset," posthac apud Innocentium VI incantationis criminis suo ipsius incommodo insimulatum esse. Rothius l. l. p. 262 de amplificatione huius fabulae aliquot locos affert. Inter alios Chr. Marlow, qui dramatum auctor inter Brittannos illustris etiam Faustum nostratem in scenam produxit, de illa mirifica via a Virgilio per rupem incisa cecinit.

**) Cf. Guhl et Koner d. Leb. d. Gr. u. Röm. p. 400, ubi cryptae ostii delineatio addita est.

***) Comparare licet quae de altero quodam *Virgilio*, prorsus a nostro diverso, qui seculo VI archiepiscopus *Arelatensis* fuit, circumferebantur, eum magicam artem calluisse eaque Arelatem, ut noster Neapolin, inexpugnabilem reddidisse atque in via, quae a Tergeste Romam ducat, in faucibus quibusdam, „Buco di Vela" appellatis, rupes manu sua diffidisse. Cui hoc loco tertium eiusdem nominis magum, seculo VIII episcopum *Iuvaviensem*, natione Anglum, Sti Bonifacii aequalem, asserere aptum est, de quo olim multa mirabilia referebantur. Cf. librum de vita et miraculis Sti Virgilii apostoli Karinthiae.

†) De Virgilii sepulcro cf. mea Memorabil. Virg. p. 14 et Guhl et Koner l. l. p. 444, ubi sepulcri imago adumbrata est.

ed. Giles p. 125) narrat, se *Ludovicum* quendam *stoicum*, in Apulia diutius commorantem, vidisse, qui, post multas vigilias, longa ieiunia, labores plurimos et sudores, tanto infelicis et inutilis exilii quaestu, in Gallias Virgilii ossa potius quam sensum reportaret. Rothius l. l. acutissime demonstrare conatur, ex illo Ludovici itinere, medio seculo XII suscepto, ex eiusdem de poetae sepulcri indagatione, quod secundum Gervasium iam dudum in oblivione iacuisset, ex civium agitatione et concitatione animorum, quae eius perscrutationes sequeretur necesse fuisset, primam de magica quadam et portentosa Virgilii natura notionem et inde fabulas ipsas Neapoli ortas esse. Quae si vera sunt, singulari quodam modo ille Virgilii versus: „Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor", a miserrima Didone (Aen. IV, 625) exclamatus, in poetam ipsum cadere videatur, quippe qui ultorem futurae sui oblivionis provocaverit. Fortasse vero satis erit statuere, illius Angli adventum, rem ipsam, quae iam dudum in hominum memoria latitasset, ad recentem vigorem excitasse, cum certe illa ipsa peregrini hominis curiositas documento sit, aliquam fabularum notitiam huic fuisse.

Ab hac re non prorsus alienum est, similem narrationem Alexandri ab Alexandro (Genial. Dier. III, 15), quamvis Virgilii nomen non contineat, hic inserere: „Quum florente fortuna Ferdinandi, primi regis Aragonii, urbs *Neapolitana* et regnum nullis adhuc belli calamitatibus premeretur, satis constat, Cataldum, virum sanctum, qui abhinc annis mille pontifex urbi Tarentinae praefuit, quemque patronum Tarentini cives venerantur et colunt, nocte intempesta ministro sacrorum cuipiam tunc sacris initiato et in casta religione educato, semel atque iterum in somno apparuisse ac monuisse, ut *libellum* a se conscriptum, quem in abdito loco vivens abdiderat, in quo divina *arcana* scripta erant, effodi et protinus ad regem deferri curaret. Qui quum parum fidei somnio dedisset, eadem sibi per quietem saepius obversata specie, cum primo diluculo solus moraretur in templo, ipsum Cataldum, qualis erat olim, dum in vita ageret, apparuisse et praedixisse, ut postera luce, quum primum posset, libellum a se manu scriptum in abdito loco, quem in somnis praedixerat, conditum effodere ne cunctaretur, poenam, nisi fieret, graviter comminatus. Postera luce solenni pompa ministrum cum populi comitatu ad latebram, in qua longissimo aevo libellus latuerat, processisse eumque plumbeis tabellis obsignatum et clavis obseratum invenisse, satis constat."

B. Romana.

XV. Virgilius miro opere, cui post nomen „Salvationis Romae" inditum est, imperii incolumitatem tuetur.

Verisimile est, priscam hanc historiolam*) primo a Virgilio alienam fuisse ac demum a Gallicis fabulatoribus, qui illas Italorum traditiones multum variarent et amplificarent, ad eius personam alligatam esse, quippe in cuius nomine tum temporis multa ceterorum praestigiatorum facinora concurrerent. Supra ex *Helinandi* et *Neccami* scriptis huius artificii meritum Virgilio adscriptum esse reperimus. Idem vero sine Virgilii nomine multo ante seculum XII in Chronicis commemoratum est**). Iam ille Anonymus Salerni-

*) Cf. Massmann l. l. 1, 19 et III, 421.

**) Cf. Preller in Philolog. I, 1, 103, qui docet iam Cosman sec. VIII huius rei notitiam habuisse, et Gregorov. l. l. II, 551.

tanus, qui anno 980 scripsit, refert cap. 133: „Romanos septuaginta statuas olim in *Capitolio* in honorem omnium gentium consecrasse, quae scripta nomina in pectore gentis, cuius imaginem tenebant, gestarent et tintinnabulum uniuscuiusque statuae statuisse: diem noctem sacerdotes illic deinceps munus excubiarum obiisse. Si igitur aliqua provincia defectura esset ab imperio Romano, eius statuam et una tintinnabulum motum esse, sacerdotem vero, qui forte custodiret, imperatori hoc indicasse; postea illas statuas Byzantium transportatas et ab Alexandro Basilii filio Leonisque fratre († 915) vestibus sericis in adorationis finem indutas esse: quo facto Sct. Petrum imperatori in somnio iracundo vultu apparuisse exclamantem, sese principem Romae esse, altera vero luce imperatorem mortuum esse." Auctor Mirabilium Romae, celeberrimi illius mediae aetatis itinerarii, partim latino partim germanico sermone conscripti, ubi inquirit, quare sit factum *Pantheon*, eandem rem tangit ut inter omnes notam ac vulgarem: „M. Agrippa praefectus subiugavit romano senatui Suevios, Saxones et alios occidentales populos cum quatuor legionibus. In cuius reversione tintinnabulum statuae Persidis, quae erat in capitolio in templo *Iovis* et *Monetae*, sonabat. Nam uniuscuiusque regni totius orbis erat statua in capitolio cum tintinnabulo ad collum, et, si forte aliqua gens rebellionem meditaretur, confestim tintinnabulum statuae gentis illius commovebatur et sonabat cognoscebantque, illud regnum esse rebelle. Cuius tintinnabulum audiens sacerdos, qui erat in specula in hebdomade sua, nuntiavit senatoribus, senatores autem hanc legationem praefecto Agrippae imposuerunt." Quae descriptio in *alia* mirabilium recensione eo aucta legitur, imaginem rebellis provinciae *dorsum* versus imaginem urbis Romae vertisse et sic tintinnabulum sonuisse. Etiam introductio libri supra laudati *„Kaiserchronik"* haec habet: „Romani olim cunctarum terrarum potentes instar quarumlibet fusilia terrarum fecerunt, nolas aereas appendentes, quae sonitu sine tactu manuum reluctantem populum prodiderunt." Persaepe vero scriptores medii aevi, ut alias, etiam hac in re, *Capitolium* cum *Colosseo* vel *Pantheo* confudisse*), queruntur, qui multum in illis versati sunt: ita Massmannus locum Andreae Ratisbonensis affert, qui salvationem arte nigromantica confectam in *Colosseo* institutam esse obtineat.

Non est, quod incertam illorum librorum fidem dubiamque auctoritatem latius exponam, cum nihil aliud voluerim, quam demonstrare, illam Salvationis fabulam Romae exortam et circumlatam esse iam dudum, antequam Virgilio ut illius aetatis heroi gloria artificis auctorisque huius miraculi adscriberetur. Prima vero huius fabulae vestigia indagare difficile est ac fortasse inextricabile. Massmannus comparat illa horologia, horaria, solaria, olim Romae exstructa, quae solis varium locum pro singulis terris horis indicarent, quibus vel nomina vel imagines quoque tuba canentes apposita erant (Vitruv. 9, 4, 9) et illam porticum ab Augusto factam (Servius ad Aen. 8, 121), in qua *simulacra omnium gentium* collocaverat, quae porticus appellabatur *ad nationes*. Fortasse etiam illius Suetonii (Octav. 91)

*) Mira ac satis ridicula levitatis librariorum in illis vetustis codicibus, ut in Graphia ac Mirabilibus admissae exempla proposuit Gregorovius l. l. IV, 616. Sic in Mirabilibus de „martyrologio Ovidii de Fastis" sermo est, quod librarius in: „marthiplogium de faustis" mutilavit. Mirabilium: „septem laudes factae Octaviano" Graphia commutat in: „septem Naydes iunctae Iano", et *Laterani* nomen, ut etiam etymologiarum specimen proponam, a *latere* et *rana* derivat addens, ranam latenter a Nerone illic partam esse.

loci meminisse iuvat narrantis, Octavianum, cum dedicatam in *Capitolio* aedem Tonanti Iovi assidue frequentaret, somniasse, queri Capitolinum Iovem, cultores sibi abduci, seque respondisse, Tonantem pro ianitore ei appositum ideoque mox *tintinnabulis* fastigium aedis redimiisse, quod ea fere ianuis dependerent.

Quod vero ea aetate, qua poëtica quaedam et romantica, ut hodie aiunt, ingeniorum indoles gravem et accuratam historiae materiam corollis fabularum, allegoriarum, fictionum quasi vestiret, inter Romanos ipsos, ut *Mirabilia* et *Graphia* docent, praeter illam salvationis fabulam eamque ne nomine quidem Virgilii addito, nihil omnino Virgilianum, ac ne fabula quidem altera reperitur, non est, quod miremur. Etenim cum Neapoli popularis quaedam necessitudo pium poetam, qui hic post tot discrimina rerum vitae quasi portum quaerens saltem sepulcri receptaculum repererat, cum civium animis coniunxisset, contra Romae, veterum heroum memoria paene elisa, potius sanctorum hominum martyrumque vitae respiciebantur et templa, palatia, alia antiquitatis monumenta Christiano cultui dedicabantur. Rarius quidem, cum vetustatis reliquiae subito e terrae gremio ad lucem protrahebantur, ex antiqui temporis ratione et auctoribus, praesertim Virgilii, qui etiam tum diligenter lectitabatur, talium monumentorum significatio temeraria quadam audacia interdum suscepta est. Ita circa annum 1045 corpus Pallantis, filii Evandri, de quo Virgilius (Aen. XI, 30) agit, Romani reperisse sibi videbantur, idque prorsus incolume et illibatum, atque ad ingentem omnium stuporem hiatum vulneris, quod in medio pectore Turnus fecerat, quatuor pedum esse observatum est. Quin candela etiam dum ardens in sepulcro reperta esse dicebatur, quam nemo extinguere posset, donec subter flamma rima ageretur. Insuper inscriptio legebatur:

Filius Evandri Pallas, quem lancea Turni
Militis occidit, more suo iacet hic.

Peregrinorum vero, praesertim Germanorum, fuisse videtur, illum quasi extinctum obrutumque antiquitatis splendorem denuo excitare. Quanta vero, ut ita dicam, fascinatione praestantissimae statuae ubique in foris et theatris Romae superstites admiranda sua venustate et gravitate illos homines necessario occupaverint et sensim antiqui temporis desiderium in animis excitaverint, eleganter ac diserte exposuit Gregorovius. Cuius rei documentum egregiam illam fabulam affert, ex qua marmorea quaedam Veneris statua adolescentis annulum, quem illi statuae digito iocans inseruerat, magica vi quasi sponsionis signum retinebat, ut divelli non posset, quod argumentum nostro tempore dramate musico *(Zampa)* tractatum esse constat.

Fortasse non sine quadam delectatione legentur aliae huius generis historiolae. Etenim de statuis sponte se moventibus, futura praesagientibus, arcana revelantibus, quin humana voce et articulate loquentibus et antiquae et mediae aetatis scriptores saepe fabulati sunt. Celeberrimam apud veteres illam Memnonis statuam fuisse constat, Thebis ab Aegyptiis in delubro Serapidis collocatam, utpote quae non solum primo mane radiis solis orientis tacta suaves sonos emitteret, sed etiam, Philostrato in vita Apollonii Tyanaei teste, humana voce loqueretur. Praesertim in templis ac delubris haud raro tales statuae vel singula capita ad piam fraudem adhibebantur, ut adhuc nostro tempore flentia Virginis sacrae

simulacra. Quorum automatorum multa exempla collegit Paully l. l. Notabile est, quod G. Schottius (l. l. I, 42) de tali statua ad loquendum constructa Romae a se ipso observatum esse narrat „Vidi ego Romae in aedibus doctissimi viri Francisci Serrae, equitis Romani, statuam Aegyptiacam ex durissimo lapide fusci coloris, e cuius dorso medio ad occiput usque indeque usque ad os patulum excavatus erat canalis, per quem ex bucca sipho per parietem in abditum quoddam receptaculum deducebatur, in quo receptaculo per eum sacerdotes immurmuratis compendiosi sermonis effatis de variis consulentibus responsa dabant.“ Etiam in Gestis Romanorum non raro fabellae ad statuas eius generis pertinent. Ita in c. 107 haec legimus: „Erat quaedam imago in civitate Romana, quae rectis pedibus stabat habebatque manum dextram extensam et super medium digitum erat superscriptio: „Percute hic!“ Imago ista a longo tempore sic stabat et quod nullus sciebat, quid hoc significaret, multi admirati sunt.“ Iam clericum quendam subtilem fuisse, qui de hac re sollicitus et digiti umbram observans, quae sole splendente redderetur, ligone arrepto solum, ubi obscuratum esset, perfodisse et ibi gradus aliquot aperientem in ima descendisse ibique palatium et principem*) cum purpuratis suis, omnes pretiosis vestibus indutos altoque silentio defixos offendisse, omne vero spatium lapide polito, quem carbunculum vocent, lumen accepisse. Hic eum vidisse hominem in angulo stantem habentemque in manu sua arcum**) paratum cum sagitta ad percutiendum et in fronte eius scriptum fuisse: „Ego sum, qui sum: nullus arcum meum vitare potest.“ Iam clericum rediturum, sed timentem, ut ipsi crederent homines, si haec mirabilia narraret, ad mensas accessisse et cyphum cum cultello de mensa levasse: at repente illam imaginem arcum direxisse et carbunculum percussisse et in continenti totam aulam tenebrosam redditam esse. Qua re iuvenem contristatum viam redeundi propter nimiam obscuritatem invenire non potuisse et sic in eodem palatio misera morte periisse. Hanc relationem manifesto imitatus est Albericus (sec. X) in Chronico historiolam de Sylvestre papa (Gerberto) narrans, quam Massmann l. l. III, 451 protulit, ut in illo Gestorum iuvene Gerbertum ipsum facile agnoscas, ea sola re ab illo prudenter differentem, quod, cum palatium iam corrueret, cultellum proiecit et infecto negotio adiumento laternae domum revertit.

Cum illis vero Virgilianis tintinnabulis comparare licet, quae *Mariana****) hispanicarum rerum scriptor memoriae protulit: „Triginta sex passuum millibus infra urbem Caesaraugustam (Saragossa) oppidum Villilla ad Iberi ripam situm est, ex Celsae Romanorum in Ilergetibus coloniae ruinis constitutum nullaque re nobilius, quam *campana*, cuius nullo

---

*) Etiam doctus ille Rabbinus Hispanorum, *Beniamin de Tudela*, de cuius itinerario Gregorovius l. l. IV, 635 nonnulla excerpsit, anno 1170 Romam illius temporis describens refert, illic „cerni antrum subterraneum, in quo rex quidam cum regina et centum principibus, omnes in soliis sedentes, imaginibus expressi sint.“

**) In gallica illa fabula, „Roman d'Eneas“, ex qua nostras Veldeck hausisse videtur, Camillae sepulcrum describitur ita exornatum, nt multa illarum de Virgilio fabularum commoneant, inter alia statua sagittiferi, qui arcu in columbam tendat, et speculum magicum, quod, si forte quis profanus appropinquet, e mille passibus eius adventum indicet. Cf. Creizenach l. l. p. 19.

***) Cf. G. Schott. l. l. II, 173.

movente insolito pulsu nobilissimos eventus significari iis hominibus persuasum est." Eadem res in monasteriis quibusdam credebatur. Ita in monasterio Camorensi et aliis triduo ante obitum alicuius religiosi campana sponte sua solebat pulsari, etsi nemo tunc temporis aegrotus decumberet lecto. Flandricus quidam Chronista, Schottio auctore, ad annum 1062 refert, „cum eo anno fames intolerabilis cives premeret grandisque multitudo hominum panis quaerendi gratia conflueret in oppidum quoddam, ibi repertus est homo prima luce, qui sub dio de nocte fame perierat: qui cum sepeliretur, prohibuit sacerdos, ne pulsarentur campanae, eo quod homo esset ignotus. Sed ecce stupentibus cunctis, qui aderant, prodigio per se aera illa personuerunt." Idem Romae contigisse ferebatur in morte S. Alexii, in paternis aedibus sub mendici ac peregrini habitu defuncti. Summum vero miraculi fastigium attingit stupenda plane historia ad annum 1081 relata, de campanario vehementi vento a suo fundamento evulso et inclinato, ita ut in aëre haereret et ruinam continuo minaretur, divinaque potentia post sex dies rursus erecto et campanis tum sponte sonantibus.

Sed redeamus ad Virgilii salvationem. In libris, qui septem orbis miracula describunt, ea ut primum celebratur post reliqua: Pharum Alexandrinam, Colossum Rhodium, Bellerophontem Smyrnae aëre libratum, Labyrinthum Cretensem, balinea Apollinis, hortos Semiramidos suspensos. Fabula ipsa vero postero tempore in libro *septem sapientum magistrorum* et aliis vario modo aucta repetitur. Illic legimus, simulacrum imperatoris inter cetera collocatum *aureum pomum*, ut insigne regis, manu tenuisse, turrim vero, quae illas statuas complecteretur, die prorsus auro micuisse, nocte vero lampade radiante illustratam nautis ex alto conspicuam fuisse, speculoque magico in ea exstructo*) omnia, quae in orbe gererentur, et inprimis omnes hostium machinationes patefacta esse. — Denique etiam nostro tempore quaedam huius fabellae vestigia adesse docet Gregorovius l. l. III, 551. Quamvis non probabile sit, id quod nonnulli crediderunt, viam illam in Capitolio a speculi turri nominatam *(via di tor de' specchi)* solummodo propter speculi mentionem cum illa Virgilii turri cohaerere, sed potius statuere liceat, gentis cuiusdam media aetate florentis *(de Speculo)* palatio illam viam propinquam fuisse, hoc vero rerum antiquarum gnari homines affirmant, reliquias arcis Frangipanorum prope arcum Titi exstructae, quae Gregorio IX iubente nuper fracta est, vulgo *turrim Virgilii* esse appellatam.

Brevi addatur, qua ratione ex *Gestorum* et *septem sapientum* relatione illud ficticium Romanorum palladium destructum sit. Venerunt Romam tres reges exteri, de turris magica vi exacerbati, quippe qua ipsis sui liberandi facultas adimeretur. His tres equites pollicebantur, se pro magna mercede eorum voluntati satisfacturos. Clam igitur deponebant in tribus urbis portis in profundo ingentes auri thesauros et posthac imperatorem adierunt simulantes, se in somniis vidisse magnos thesauros passim Romae defossos. Quum vero hanc fictionem illo auro re vera reperto comprobassent, asseverarunt, plurimos thesauros sub illa Virgilii

*) Speculum non tam magica, quam mathematica arte compositum, quo noctu ea, quae longe sint remota, face accensa conspici possint, describit Schott. l. l. I, p. 331, et p. 442 speculi bene credulus meminit, quo noctu atque luna splendente legebatur Constantinopoli, quod Londini in Anglia scriptum esset, quae docent, illas vetustiorum hominum nugas ne recentiori quidem tempore plane evanuisse.

turri absconditos esse, ita ut iis ab imperatore, primo quidem abnuente, tamen permitteretur, ut illam turrim subterfoderent. Quo facto turrim incenderunt, ut una cum simulacris eorumque tintinnabulis corrueret. Cives vero urbis hac re admodum contristati avarum imperatorem corripuere et ore eius auro liquefacto impleto ipsum vivum sepeliverunt.

XVI. Virgilius iussu imperatoris Titi statuam conficit, quae peccata contra legem Caesaris clam commissa manifesta reddit.

Etiam haec fabula, cuius demum in libris XIV seculi, ut in Gestis Romanorum, in libro septem sapientum, aliis mentio fit, non inter genuinos Virgilianos mythos referenda est. Attamen in hac integra earum collectione non omittenda esse videbatur. Gesta vero cap. 57 hanc historiam habent, cui: „De perfectione vitae" inscriptum est:

„*Titus* in civitate romana regnavit: qui statuit lege, quod dies primogeniti sui ab omnibus sanctificaretur: et quicunque diem nativitatis filii sui per opus servile violaret, morte moreretur. Promulgata lege vocavit *magistrum Virgilium* et ait: „Carissime! talem legem edidi. Verum tamen saepe in occulto poterunt peccata committi, ad quorum notitiam pervenire non potero. Rogamus ergo te, ut secundum industriam tuam aliquam artem invenias, per quam potero experiri, quales sint illi, qui contra legem delinquunt. At ille: Domine, fiat voluntas tua. Statim Virgilius arte magica statuam in medio civitatis fieri fecit. Statua illa omnia peccata occulta in illo die commissa imperatori dicere solebat. Et sic per accusationem statuae quasi infiniti homines erant condemnati. — Erat tunc quidam faber in civitate, nomine *Focus*, qui in illo die, sicut in ceteris, operatus est. Cum autem semel in strato suo iacuisset, intime cogitavit, quomodo per accusationem statuae multi moriebantur. Mane surrexit et ad statuam perrexit et ait: o statua, statua! per tuam accusationem multi moriuntur. Voveo deo meo, si me accusaveris, caput tuum frangam. His dictis domum perrexit. Hora prima imperator, sicut solitus erat, nuncios suos ad statuam destinavit, ut ab ea quaererent, si aliquis contra legem commisisset. Cum autem ad statuam venissent et voluntatem imperatoris dixissent, ait statua: Carissimi! levate oculos vestros et videte, quae scripta sunt in fronte mea. Illi vero, cum oculos levassent, tria in fronte eius clare viderunt sequentia: Tempora mutantur; homines deteriorantur; qui voluerit veritatem dicere, caput fractum habebit. Ite, domino vestro nuntiate, quae vidistis et legistis. Nuncii perrexerunt et omnia domino suo retulerunt. Imperator cum hoc audiisset, praecepit militibus suis, ut se armarent et ad statuam pergerent et si aliquis contra statuam et contra voluntatem suam aliquid faceret, eum ligatis manibus et pedibus ad eum ducerent. Milites ad statuam perrexerunt dicentes: Placet imperatori, ut offendatis illos, qui contra legem commiserunt et quales erant illi, qui minas fecerunt. Ait statua: Focum fabrum accipite. Ille est, qui singulis diebus legem violat et mihi minas facit. Illum comprehenderunt et coram imperatore duxerunt. Ait imperator: Carissime! Quid est, quod audio de te? Quare legem editam illam violas? At ille: Domine, legem servare non possum, quia omni die octo denarios oportet me habere et illos sine labore non potero acquirere. Ait imperator: Et quare octo denarios? Qui ait: Omni die per annum duos denarios teneor dare, quos mutuavi in iuventute, duos accomodo, duos perdo, duos expendo. Ait imperator: De istis manifestius debes mihi

dicere. Cui ait faber: Domine mi, advertite me. Duos denarios omni die teneor patri meo, quia, cum essem puer parvulus, pater meus duos denarios super me singulis diebus expendit. Iam pater meus in egestate est positus, unde ratio dictat, quod ei subveniam in sua paupertate et ideo omni die duos denarios ei trado. Duos alios denarios filio meo accomodo, qui iam ad studium pergit, ut si contingat, me ad egestatem pervenire, mihi illos duos denarios reddat, sicut ego iam patri meo facio. Duos alios denarios omni die perdo super uxorem meam, quia est mihi semper contraria, aut propriae voluntatis aut callidae complexionis: et propter ista tria, quicquid ei dedero, hoc perdo. Duos alios denarios super me ipsum in cibis et potibus expendo. Lenius bono modo transire non potero, et istos denarios non possum obtinere sine continuo labore. Iam audistis rationem: detis ergo iudicium certum. Ait imperator: Carissime, recte respondisti: vade et fideliter labora. Post hoc cito imperator defunctus est et Focus faber propter suam prudentiam in imperatorem eligitur ab omnibus, qui imperium satis prudenter regebat. Ipso mortuo inter alios imperatores imago eius depingitur, et ultra caput octo denarii."

A. Keller in vernacula Gestorum translatione loco illius plane ignoti hominis Foci emendavit: „*Focas*", ad illum Byzantinorum imperatorem respiciens, cuius statua hodieque Romae adest. Quilibet videt, mira locorum ac temporum confusione illud Neapolitanum de capitibus praesagientibus, quod supra proposui, ad Romanas res translatum esse. Caeterum non plane inepta sunt, quae in Gestis latinis „*Moralisationis*" nomine addita sunt, imperatorem esse patrem coelestem, qui per legem statuerit, ut, quisquis diem primogeniti sui Iesu Christi i. e. dominicum opero profesto violasset, supplicio afficeretur; at permultos eo die etiam maiora peccata committere, quam ceteris hebdomadis diebus. Virgilium, qui hanc statuam confecerit, esse spiritum sanctum, qui sacros concionatores ordinaverit: hos vero iure exclamare: „Tempora mutantur" etc. Verisimile est, cum illa statuae cuiusdam erectione quodammodo cohaerere, quae in libro: „*Kaiserchronik*" I, 431 de columna referantur, quam Titus exstruendam curaverit, ut nomina duodecim nobilium Romanorum, qui rebellionis atque insidiarum convicti et supplicio affecti essent, illi columnae inscriberentur eorumque simulacra cum sua effigie coniuncta iuxta statuerentur improbis seditiosisque hominibus exemplum.

XVII. Virgilius magica quaedam artificia comparat, quibus periurorum et adulterorum crimina detegantur.

Vario modo de his artificiis retulerunt fabulatores medii aevi*) eaque nonnulli errore ad urbem Neapolin referunt, cum sine dubio Romae domicilium habeant. Etenim hic Virgilius simulacrum vel solum *caput lapideum* confecisse ferebatur, cuius ori omnes, qui iusiurandnm dare vellent, manum imponere coacti essent: qui vero peierasset, huic caput lapideum manum mordicus abripuit. *Mirabilia* habent: „In porticu ecclesiae Stae Mariae in Cosmedin est magna rota lapidea ad molae formam, cui foramina quinque adsunt, quasi oris, narium, et oculorum et vocant: *Bocca della verità*; totam ecclesiam eo nomine

*) Cf. Les faits merveilleux de Virgile, fils d'un chevalier des Ardennes. — Kurzweilige Gespräche. Francf. a. M. 1563. fol. — Massmann Kaiserchr. III, 448.

vulgus appellat, rati esse os fundens oracula.“ Etiam auctori libri, cui: *Kaiserchronik* inscriptum est, haec res innotuisse videtur; qui a ceteris prorsus abhorrens et Virgilii quidem nomen non adponens, rem ita proponit: Imperatorem *Iulianum* a pia quadam vidua educatum posthac eius pecunias apud se depositas custodivisse, tum vero avaritia incensum abiurasse. Viduam ita subito ad extremam paupertatem redactam lavando vitam sustentasse, et quondam in amne Tiberi ligneum *Mercurii* simulacrum conspexisse, quod ipsi salutem et bonorum amissorum recuperationem promitteret. Iam Iulianum a vidua expostulatum esse, ut coram illo simulacro, manu in eius os inducta, iuraret, quo facto manus eius a lapideo ore compressa ac mordicus tenta esset, donec Iulianus raptas opes restituisset et fidem Christianam rursus abnegasset. Tum demum hunc imperatorem creatum Mercurii cultum publice instituisse. Cuius mythi sane mirabilis ac peculiaris monumentum esse videtur, quod hodieque*) Romae in atrio templi Stae Mariae in Cosmedin, quae etiam „schola Graeca“ appellatur et olim Sti Augustini schola fuisse in Mirabilibus fertur, ingens marmoris crusta asservatur, cuius pars antica humanam faciem ore late diducto ostendit et quae vulgo a Romanis „bocca della verità“ appellatur, quippe quod media aetate ad explorandam veritatem saepe adhibita sit, vel apud iuratoros de re qualibet vel apud puellas, quarum castitas addubitaretur. Inscriptio latina, quae prope illud caput incisa est, affirmat, „buccam veritatis“ antiquo tempore in templo Iovis Ammonis fuisse et in eundem finem adhibitum esse. Huius vero rei inventio media aetate Virgilio mago vulgo adscribebatur, id quod etiam germanica Mirabilium translatio seculo XIV scripta obtinet et praeterea ignoti cuiusdam poetae carmen, nuper in Pfeiferi Germania IV, 237 editum, fortasse eiusdem seculi, cuius carminis initium saltem ac finem exscribere liceat:

„Von einem pild ze rôme daz den êprecherinnen die vinger ab peiz.“

„Virgilius die Künste sîn
Ze Rôme an einem pilde wol liez werden schîn,
Daz er gemachet het mit sînen handen.
Swelhe frowe zerprach ir êr
sô het daz pild die Kraft, die Kunst und ouch die lêr,
daz ez sî prâcht vor männiclîch ze schanden.
vil mannige frowe zwên vinger muost dem pild ze wandel geben,
die legt man îm in sînen munt,
die peiz es dan den valschen ab und macht sie wunt,
daz sie dan fürbaz muostn in schanden leben.“

Iam poeta narrat de uxore cuiusdam imperatoris historiolam, quae non immerito perfidiae suspecta et ad purgationem per illud simulacrum faciendam coacta, muliebri astutia efficaciam eius avertens manum salvam detraxerit et his verbis artificii destructionem exponit:

„Alsô zehant dem Kaiser spranc daz horen abe,
er gund sîn frowen friuntlich zuo im setzen.
der Kaiser zuo der frowen sprach: „îr habt mit recht gewunnen.“

---

*) Cf. Gregorov. l. l. IV, 629.

dô si den eit aldâ geswuor,
alsâ zehant daz pilt ze tûsent stücken fuor.
Ez peiz nicht mêr, der kunst was im zerrunnen."

Olim in aede propinqua et Sta Maria Egiziaca appellata, illius historiolae argumentum imagine in lapide expressum erat. K. Bartschius, qui hoc carmen primus edidit, cum eo similia comparat, quae in Indorum fabulis reperiantur, ubi reus vel statuae cuiusdam crura permeare, vel super tritici grano iusiurandum edere coactus fuerit.

Non possumus non in hac re nostratis poetae, Hans Sachs, meminisse, qui simile quid in hilari poemate de miro quodam ponte in regia Arti regis aula a *Virgilio* facto facete ac lepide narrat: si quis maritus vel marita dubiae castitatis illum pontem transgressi sint, hunc subito praecipitem de ponte in flumen Tamesin invitum detrudi. Iam cum Artus ad comprobandam reginae fidem huius rei periculum cum multis aulicis eorumque uxoribus una fecisset, permultarum lapsu haud voluntario certe ipsum magnum solatium in tot amicorum consortio cepisse. Si forte cuidam haec postrema historiola honesti leporis fines excedere videatur, tamen profitendum est, Virgilium in plerisque fabulis vindicem virtutis ac pietatis se praebere.

XVIII. Virgilius ignem semper ardentem et iuxta puteum calidas aquas perpetuo effundentem in pauperum usum Romae constituit.

Iam supra monui, in iis miraculis, quae in libro septem sapientum, in Gestis aliisve posterioris aetatis scriptis primum reperiantur, tamen accommodationem quandam ad illas Neapolitanas fabulas factam saepe animadverti. Ita, quae de igne et calidis aquis alio quidem consilio illic pia memoria commenta esset, haec Romae interdum amplificata et satis variata denuo apparent. *Gesta* germanica addunt, inter ignem et puteum aenei viri simulacrum interpositum fuisse, arcum tensum manu tenentis, in cuius fronte scriptum esset: „Quisquis me percutit, urbem afflictat." Hanc statuam per multos annos intactam mansisse, donec clericus quidam stolidus aeque atque avarus, ea spe incensus, sub illa largos thesauros abditos iacere, (quae opinio diutissime in mentibus Romanorum illius aetatis iusta ac paene necessaria praesumtione haesisse videtur) et hanc ob causam istam inscriptionem factam esse, simulacrum dextra adeo percussisset, ut fractum dilaberetur atque illico et salutaris flamma extinqueretur et puteus exaresceret, clericum vero prorsus nihil auri reperisse. Simili rei fictione supra apud *Conradum* de Neapolitanis miraculis referentem „hominem aereum" reperimus „tenentem balistam tensam, quam rusticus quidam stolidus nervo impellendo magica eius vi prorsus privavisset. Admodum vero expolitam eandem fabulam in *Aliprandii* Mantuani Chronico deprendimus, qui puteum in urbe Neapoli *oleo* abundantem per Virgilium effectum esse commemorat. Etiam illum sagittiferum a Neapolitana fabula mutuo translatum esse, nemo non videt.

XIX. Virgilius Romae a nobili quadam ac venusta muliere, a qua repudiatus et publico risui expositus erat, magicas artes adhibens, acerbam poenam repetit.

Etiamsi historiola, cuius mentionem nunc facere in animo est, cum ab illo benefici magi imagine, quam seculum XIII in eo expresserat, tum a verecundia*) poetae olim vindicata, qua ipsum nomen eius cum *virginitate* cohaerere credebatur, maxime abhorreat, tamen ea mihi non omittenda videtur, quippe quae prae ceteris fabulis longe notissima, adeo arte pictoria et sculptura compluriens expressa sit. Antiquissimus eius auctor ille *Iohannes Enenkel* esse videtur, de quo supra pag. 14 dixi. Qui cum plane diversus a ceteris Virgilium artes suas diaboli auxilio didicisse contendat, etiam alioquin ei multa foedaque exprobrat**). Praeter illum *Aliprandus* cum auctore libri popularis de Virgilio mago, complures Gallici fabu-

*) De Virgilio amoris Plotiae Hieriae, Varii poetae uxoris, falso suspecto cf. mea Memorab. p. 20 et Weichert de Vario p. 89, qui vero isti calumniae fidem facere conatus est. De verecundia poetae inquisivit Genthe, l. l. pag. 2 sequ.

**) „Er war gar der helle kint". Praeterea ille ac solus quidem tradidit, a Virgilio Romae lapideam feminam confectam esse unicuique prostibulum.

latores, *Boccacius* in Decamerone, alii eam fabulam tractavere. Graessius vero l. l. aliquot *picturas* lineares in Museo Dresdensi asservatas et eandem rem spectantes describit et Scheible l. l. II, 139 picturae a *Luca Lugdunensi* confectae delineationem relationi suae adiunxit, in qua miserrimus magus ante suae Neaerae fenestram pendens cernitur. Praeterea constat, illud aërium iter haud raro in sculptura aedium cathedralium, Lugduni aliorumque oppidorum effictum, quin Rotomagi in ipsis sellis canonicis ligno incisum esse.*) Etiam in manteli, quod ad Caroli V imperatoris coronationem adhibitum sit, imagines quatuor heroum amore deceptorum, Davidis cum Bathseba, Simsonis cum Delila, Aristotelis cum Phyllide, denique Virgilii in corbe haerentis, acu pictae vel intextae etiamnunc adesse dicuntur**) atque eiusdem argumenti sculptura, quippe qua doceatur, vinum et amorem sapientes viros in perniciem saepe adduxisse, etiam Misniae in Albertini palatii nuper restaurati antica parte cernitur. Fabula ipsa vero brevi haec est: Romae venusta mulier a Virgilio adamata ei promiserat, se hunc corbi insidentem e platea ad cubiculi sui fenestram noctu sublaturam: at corbem ad medium tantum palatium ductam subdola malitia fune alligavit, ut miserrimus ille ac male tractatus, cum per totam noctem suspensus haesisset, primo mane civium, qui nundinas obirent, irrisui***) relinqueretur, donec iussu imperatoris ista molestissima conditione liberatus est. Cuius contumeliae vindictam sumturus Virgilius primum arte magica cunctos in urbe ignes subito exstinxit et impedivit, quominus extrinsecus alii importarentur. Tum ab imperatore rogatus, ut hanc urbis calamitatem rursus amoveret, poeta crudelissima inventione constituit, ut illa perfida mulier coram omnibus in subsellio exponeretur et, quisquis ignem appeteret, candelas vel faces in illius corpore admodum contumeliosa ratione accenderet.†) Variae vero sunt fictiones de illa muliere, quae vel cuiusdam imperatoris vel Iulii Caesaris vel regis Darii filia, modo Chrimhildae modo Athanatae nomine appellatur. Neque vero ab omnibus scriptoribus Virgilius cum illa coniungitur, sed etiam alii, ut celeberrimus medicus Hippocrates vel *scriba* quidam alias obscurus *Conradus*††). Quid quod etiam de Aristotele simile quid a proterva quadam femina Phyllide contumeliose tractato narrabant, id quod Aeneas Sylvius spectasse videtur scribens: „Quid de philosophis dicemus disciplinarum magistris et artis bene vivendi praeceptoribus? Aristotelem tamquam equum mulier ascendit, freno coërcuit et calcaribus pupugit“, quam rem inter alios *Hans Sachs* in comoedia et Gallorum *Marmontel* in „le philosophe, conte moral“ lepide tractaverunt, quin architectus in Ulmae cathedrali exsculpsit†††). Idem crudelis ultionis modus ab aliis Heliodoro seu Liodoro Siculorum quondam incantatori attribuitur[1]). Caeterum medio aevo Romae illa turris speculo magico adornata, de qua supra dixi, locus habebatur, in cuius vicinia Virgilius ab illa femina poenas repetiisset. Mirabilia germanice scripta huic historiae addunt, eodem loco papissam Ioannam in pompa solemni subito enixam esse, in latinis vero *Mirabilibus* res obiter tantum attingitur his verbis: „Viminalis, ubi est ecclesia Stae Agathes, ubi Virgilius captus a Romanis *invisibiliter exiit* ivitque Neapolin, unde dicitur: *vado ad Napulum.*“, quibus verbis etiam novum eius miraculum additur. Hoc vero magorum artificium saepe commemorari constat. Sic Gyges ille annulo inverso invisibilis reddebatur, sic daemonis auxilio Simon Magus, Apollonius, alii. Praeterea iter

---

*) Cf. v. d. Hagen Minnesänger IV, 604.

**) Cf. Otte Handbuch d. Kirchl. Kunstarchäol. p. 183.

***) Fuerunt, qui ab hac historiola, magna cum delectatione quondam accepta, proverbialem illam nostratium locutionem de nuptiis per *corbis* symbolum recusatis deducere vellent, cum alii cuiusdam ex Germanorum iure olim constitutae poenae moneant, qua ad fures in hortis deprehensos fiscina dedecori adhibebatur. Etiam per corbem, sed alio modo, Falstaffius in Shakspearii comoedia a mulieribus duabus petulantibus ludibrio habetur.

†) De alia nec minus ignominiosa illius ultionis ratione vid. ap. R. Spazier Altengl. Sagen I, 23.

††) Cf. Des Knaben Wunderhorn I, 53.

†††) Cf. v. d. Hagen Minnesinger IV, 604.

[1]) Cf. Scheible Kloster V, 372.

aërium facere apud magos vulgare erat, id quod de Triptolemo, Medea, Abari, Musaeo etiam de Virgilio Neapoli fabulabantur; quin Hermotimus apud Lucianum et Aristeas corpore relicto solummodo animi vehiculo itinera fecerunt. Etiam Heliodorus, cum in eo esset, ut caperetur, nave mirabili e virgis laureis constructa per aëra uno die Catania Constantinopolin vectus esse credebatur.

XX. Virgilii mors famuli loquacitate et curiositate maturatur.

Cum *Aliprandus*, ut supra monuimus, narrans, Virgilium subito morbo ex solis Neapolitani ardore contracto Brundusii obiisse, certe quodammodo cum historica veritate congruat, ceteri autem scriptores supra laudati de eius extremis nihil prorsus offerant, *Romanensis fabula*, quae uberius portentosam magi vitam exposuit, etiam de morte eius mirabilia tradit, quae huic collectioni asserere non dubito, quamvis de Merlinio quoque et Paracelso fere eadem referantur. Fabula vero haec est. Ut Medea olim Aesoni Iasonis patri, ita Virgilius iam aetate provectus sibi ipse iuvenilem indolem reddere volebat. Itaque furtim cum fideli quodam servo in arcem se contulit, quam extra Romam aedificatam aqua in circuitu cinxerat et insuper XXIV ferreis viris defendebat, qui nimirum magica arte constructi continuo ferreis flagellis se invicem peterent, ut nemo inter eos arcem intrare posset. Hic postquam servum edocuit, qua ratione quibusque canticis illa virorum machina actutum supprimi ac sedari posset, ab eo poposcit, ut se ipsum necaret, atque omnes sui corporis partes in minima frusta dissectas et sale bene conditas in dolio conderet et per novem dies intactas relinqueret: post hoc spatium se denuo iuvenem resurrecturum esse. Quo facto imperator, quippe qui dilectum magistrum iam plures dies desiderasset, tandem septimo die illum servum increpuit, ut confiteretur, ubi dominus esset, fortasse crimen suspicatus. Ille vero primo confessionem pertinaciter detrectans denique minis Caesaris compulsus, omnia detexit eumque ad arcem domini adduxit. Ubi cum re vera dolium conspexissent, servus ab imperatore primo irae impetu occisus est, qui morae impatiens illico dolium effringi iussit, quo facto nudum puerulum ter circa illud trepidantem conspicati sunt, qui „malum!“ inquit, „quod huc venistis“, quibus dictis evanuit nec unquam rursus apparuit. Non est quod moneam, in hac fabella Virgilio illum de Pelope mythum adaptatum esse, quem a Tantalo patre favorem deorum experturo dissectum iisque in convivio appositum, posthac Mercurii arte in vitam revocatum esse veteres credebant.

Sed haec hactenus. Quae praeter illa etiam mirabiliora et fere ab omni temporum ac locorum vera ratione prorsus abhorrentia inde a seculo XV in fabularum collectionibus luxuriante et effrenata fictionum licentia addita sunt*), omittenda esse putavi, quum et iustos huius libelli fines excedere et a prisca Maronis dignitate nimis aliena esse viderentur. Pium vero Mantuanum, nescio utrum poetico an magico consilio, etiam nostra adhuc aetate rebus terrestribus aliquo modo intercedere inde apparet, quod nuper in miro quodam libro**), multas e coelesti spirituum regno datas epistolas continente, Virgilii quoque una epistola publicata est, ut sperandum sit, illa vetusta mirabilia interpreti hodie maximam partem inextricabilia aliquando a mago ipso ad liquidum perductum iri.

*) Novissimum facetumque huius generis specimen est liber, quem conscripsit *Wilibald Alexis*: „der Zauberer Virgilius, ein Mährchen aus der Gegenwart.“ 1851.

**) *Guldenstubbe* Pneumatologie etc. Paris 1858.

CORRIGENDA:

Pag. 3, lin. 18: *ad*, pro *ac*.
Pag. 3, lin. 30: *memorabilibus*, pro *memoralibus*.
Pag. 5, lin. 16: *orificium*, pro *opificium*.
Pag. 6, lin. 32: *seculorum*, pro *seculorem*.